

כְּשֵׁם אֲבִיר

JESAIAS

SS.

TRINITATIS

PRÆCO,

Ex

*Ejusdem Cap. XLVIII. 16.*

DEMONSTRATUS

In

DISSERTATIONE INAUGURALI,

quam

Autoritate jussuq; summè Reverendæ Fctis Theologicæ  
*Pro consequendis in Theologia privilegiis* DOCTORALIBUS,  
PRÆSIDE

*VIRO Magnifico summèq; Reverendo,*

DN. ANDR. DANIELE

HABICHHORSTIO.

Th. D. Ejusdemq; P. P. Celeberrimo & Seren.

uc. Mekelb. Consiliario Consistoriali, Amplissimiq; Ducalis Collegii

& laudatæ jam Fctis Theol. nec non totius Illustrissimæ Universitatis

Seniore gravissimo, hodieq; Decano spectatissimo,

Patrono ac Promotore suo summè Venerando,

*Ad d. XIII. Septembr. Ao. MDCCI horis ante 6 pom. in Auditorio Majori,*

Publicæ placidæq; collationi exponit

M. CHRISTOPHOR. CONRADUS

GOERIZIUS, a. XCV. 20.

Regiomont, Borussia.

Rostoch!, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

coll. diss. A  
5, 20

SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI PRIN-  
CIPIS ac DOMINI,

**DN. FRIDERICI**

Regis in Prussia, Marchionis Brandenb,  
S. R. J. Archi-Camerarii & Electoris  
&c. &c. &c.

Consiliariis in Regno Prussiae supremis:

**VIRIS**

*Perillustribus, Magnificis & Generosissimis,*

**DN. OTTONI WILHEL-  
MO à WERNBANDI**

Supremo Regionis Magistro, Heredita-  
rio Domino in Lützen / Nauteu Gre-  
scheinen &c. &c.

**DN. CHRISTOPH. ALEX-  
ANDRO à RAUSCHKE**

Supremo Burggrabio ac Tribunalis Præsidi,  
Hereditario Domino in Eiserwagen / Kirschneh-  
nen / Radrau &c. &c.

DN.



DN. GEORG. FRIDERICO

à KÖNIGZERN/

Supremo Cancellario ac Feudorum Prussicorum Directori, Hereditario Domino in Westfalen/  
Bohren/ Besselsbüden/ &c. &c.

DN. CHRISTOPH. à Wallenrodt/

Supremo Marschallo, Hereditario Domino in Pommern/ Jergelack/ Groß- und Klein Bogirren/  
Preckelwitz/ Wilkienen/ Geiseln/ Altstadt/  
Lippe/ &c. &c.

Dominis Mæcenatibus ac Patronis suis

Gratiosissimis,

DISSERTATIONEM hanc INAUGURALEM

*humilissime consacro offero;*

**V**estram enim, PERILLUSTRES ET GENERO-  
SISSIMI DOMINI, SUPREMI REGNI  
PRUSSIAE CONSILIARII, gratia in me  
meosque multum debeo; sed hujus Chartae Obla-  
tione parum solvo. Equidem munus hoc raris, qui ex  
Vobis resurgunt atque generosissimas Nobilitatis Borussiae  
familias & quod majus est totius Regni Civitates illustrent,  
compar esse debebat, sed quum Vestram Gratiam in alio  
quali beneficiorum depraedicatione sciam acquiescere, inter  
ingra-

ingratos censendus essem, si tot illustres affectus & Magnificentiae radios me dudum agnovisse publice non testarer. Quanta etiam Clementia me nuper complexi estis, dum Professione Theologica me dignum judicastis? Certè tanta haec sunt immerita V. Gratiae documenta, ut hodie inter serenam vitam hujus meae numerem, quod hoc tempore V. frui Gratia contingat. Quamquam enim Vos & sanguinis Nobilitas & Virtutis excellentia eo evexerunt, ut vix ad istas, in quibus delitescio, umbras respicere videamini, hoc tamen Vestra Benignitas innata non patitur, ut radios gratiae a me avertatis. Accipite ergo DN. PERILL. hanc dissertationem, subjectissima Venerationis Symbolum & pignus, & humilia devotissimi Clientis vestri alloquia non dedignemini. Deus, qui Patriam haec tenus inter fulgurantes hostium exercitus clementer conservavit, V. PERILLUST. GENEROSS. ulterius gratiae suae umbraculo foveat & tueatur, ut sincera Religio radios distingat, Justitia Regnum fulciat, paxque aurea felicitatis opes coronet, quod tota mente precor & voveo,

Exarabam Rostochii

Anno MDCCI.

Die VIII. Septembr.

V. PERILLUST. GENEROSS.

subjectissimus

Clientis

M. Christoph. Conradus Gærizius.

Q. D. O. M. F. F. Q. E. J.

# PROOEMIUM



ummum illud SS. Trinitatis Myſterium, quod Chriſtiana fides cum timore & tremore cognoſcit, cognoſcendæqve veneratur, & ſalvat & damnat: Salvat ſcientes, Joh. XVII. 3. damnat ignorantes 2. Theſſ. I. 8. Hinc apud Fideles pia & crebra & conſtans ejus recordatio ſemper manſit. Polycarpus licet martyrii corona jamjam cingendus eſſet, memoria tamen & cogitatione SS. Trinitatem complexus eſt, orans Patrem dilecti & benedicti Filii ſui Jeſu Chriſti, ut per Spiritum ſuum Sanctum in martyrio confortetur, apud Eusebium lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 14. Gregorium Episcopum Neo-Cæsariensis & Martyr parilem edidiſſe confeſſionem legitur apud eundem Lib. VII. cap. 25. Similiter antiquæ Eccleſiæ Doctores ut tantò frequentiore hujus Myſterii memoriam excitarent, varia adhibuerunt media Nam introduxerunt *δοξολογίαν* illam ſæpius eo fine decantandam, *Gloria Patri, Filio & Spiritui S.*, teſte *Baſilio M.* in Tract. de Spiritu S. ad Amphiloſium cap. 29. & *Strabone Fuldenſi* de rebus Eccl. cap. 35. Quò referenda etiam illa eſt *cantilena*, quæ olim in Eccleſia Conſtantinopolitana viguit, in quâ canebant: ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς: *Sancte DEUS, sancte fortis, Sancte immortalis, misereere noſtri.* His enim vocibus mentionem Trinitatis injeciſſe memorat *Job. Damascenus* Lib. 3 de O. F. c. 10, inſimul explicati onem cantilenæ addens. Huc etiam faciunt *Literæ* quæ dicebantur *formata* & ſatis celebres ſunt in Antiquitate. In more enim poſitum erat antiquis Eccleſiæ Doctores, ut in literis, quas ſibi invicem ſæpius mittebant, quasdam literas initiales integrarum vocum nempe: π. υ. α. π. ſubjicerent, quibus π. υ. α. η. ς, ἅγιον πνεῦμα denotabatur. Meminit talium literarum *Optatus Milevitanus* Lib. 2. contra Parmen. *Gabriel Albaspineus* in No-

A

tis

2  
 tis ad eundem f. 134. & *Baronius* in *Annal.* ad Ann. Chr, 142. *En*  
 varium & crebrum antiquioris ac purioris Ecclesiæ recordandi hu-  
 jus Mysterii modum atqve methodum! Hanc enim recordatio-  
 nem in antiqua Ecclesia *ab initio Evangelii decurrisse, etiam ante*  
*priores Hæreticos, probabit cum ipsa posteritas omnium Hæretico-*  
*rum, cum ipsa novellitas Praxæ,* juxta *Tertull.* in *Lib. advers. Prax.*  
 cap. 2. Hujus antiquioris Ecclesiæ exemplum laudabile hodie-  
 num sequimur, dum *Festum SS. Trinitatis,* tanquam aliorum fe-  
 storum, quæ quotannis recolimus, fastigium, solennitate anni-  
 versaria celebramus, in quo maximum illud mysterium submissa  
 devotione exponimus, & cantica ferè omnia paulò ante laudata  
 claudere *δοξολογία: Gloria Patri & Filio &c.* non dubitamus.  
 Cumq; illos adhuc dies Dominicos celebremus, qui post laudatum  
 jam SS. Trinitatis festum proximè incedunt & ab eodem distin-  
 ctis numeris intervenientibus nomen sortiuntur, non inconve-  
 niens *Ven. F. Cti Thèol.* visum fuit, si mihi occasione *Dicti Jes.*  
*XLVIII. 16.* hoc mysterium intensiori meditatione complectendum  
 inque Disputatione inaugurali (ut vocant) proponendum com-  
 mitteret. Hæc ergo consideratio, ut tantò feliciorum sortiatur  
 eventum, DEUM imploramus *S. Hilarii* precibus ex *ejus Libr. I*  
*de Trinit.* *Nos quidem inopes ea, quibus egemus, precabimur & in*  
*scrutandis Prophetarum tuorum & Apostolorum dictis studium per-*  
*vicax afferemus & omnes observata intelligentia aditus pulsabimus;*  
*sed innum est & oratum tribuere & quesitum adesse & patere pul-*  
*satum.* Hisce præmissis fundamentum futuræ Tractationis re-  
 præsentamus, cujus facies hæc est in

*Textus Originario:*

ועתה ארני יהוה שלחני ורוחו:

Verf. LXX. Interpret:

Καὶ νῦν Κύριε ὁ θεὸς ἀπέστειλέν με, καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ.

Verf. Vulgat:

Et nunc Dominus DEUS misit me & Spiritus Ejus.

Verf. B. Lutheri

Und nu sendet mich der HERR Hr. und sein Geist.

*Hunc Locum itaque ut attentiore animi lætæ enodemus,*  
*tribus*

3

tribus nos sectionibus indigere arbitramur. Primâ quidem, ut verus Loci sensus, & quicquid pro eodem confirmando facit exponatur: Secundâ, ut variorum Pseudhermenias & pro eis allatas inanes ratiunculas, explodamus: Tertia, ut ad praxin quoque salutarem explicata dirigamus. Sit itaque

## SECTIO PRIMA EXEGETICA.

### §. I.

**H**Æc originarii Textus & Versionum facies est à nobis repræsentata, quarum pulcherrimam & admirandam hinc harmoniam conspicerelicit, quam in multis aliis deesse videmus. Ut verò tantò curatius nostrum exponamus locum, de conveniente & concinno Exegeteos ordine dispiciendum erit. Is verò adeò multis difficultatibus non est obstructus, ut anxiam & plurimi sudoris inquisitionem studiumque requirat. In ipso Textu primo statim intuitu offeri se nobis *quidam*, verba de *missione* sua faciens, simulque insinuans à quo missio hæc facta sit, tandemque suam ipsius personam repræsentans sub aliqua ratione formali determinante. Non enim de se loquitur absolute sine ullo aliquo prædicato subjectum notionaliter denominante, sed ut *missio*, adeoque sub hac ipsa notione hæc Persona nobis consideranda erit. Personæ autem suæ sub formali hac notione, ut *missio* scilicet, *causam* esse innuit duos revera distinctos, nempe partim *אדני ארתי* partim *רוחי* hujus Spiritum. Ex quibus facile ordo tractationis delineari potest, nimirum sistitur nobis in h. l. consideranda *Persona* *hic de se & sua missione loquens*, & *quævis illa sit* an scilicet divina an humana? Hæc consideratâ cum indicentur, à quibus *missio* proveniat, ad horum

4  
horum quoque considerationem in subsequentibus debere nos progredi facile liquet.

§. 2. Ut itaque prius expediatur, attendendum nobis erit, sub quo verbi signo *persona* designetur, nimirum sub illo שלחני i. e. *misit me*, quod est verbum in Statu affixo primæ personæ, adeoque indicat continuari hinc sermonem ab illa ipsa persona, quæ præcedentia etiam protulit. Eo ipso etiam nobis occasionem præbet ex antecedentibus verbis inquirere, qualis illa sit Persona? Ipsa radix שלח aliquando *permittere* denotat, ut Proverb. XXIX. 15. dicitur נער משלח. Alias etiam *impulsionem* atque *expulsionem violentam* innuit, sicuti Jobi XXX. 12. sed significationem *missionis* crebrius obtinet & vel septies in cap. VI. Nehem dicitur verò sine differentia & DEUS Jes. IX. 8 & Homo Num. XXII. 10. mittere. Hoc autem loco *missionem* denotare DEO quæ activè tribui, extra controversiæ aleam esse videtur positum. Sed *quis missus* sit, valde disputatur, & tanta sunt Interpretum dissidia, ut unus glossas alterius disturbat, quæ sequenti sectione videbimus. Nobis ex ipsa ipsius Textus *supra-Phia* & aliis rationibus evidentissimis constat, non alium esse hic loquentem & *in sum* quam *Filium DEI*, secundam Deitatis Personam, Messiam & Redemptorem totius humani Generis Præsupponimus autem omninò, antequam nostræ explicationis fundamenta ponamus; si hoc demonstraverimus, quod hinc non creatura, sed DEUS Creator denotetur, mox simul etiam demonstraverimus *Filium DEI*, secundam Deitatis Personam intelligi debere. Nam *missus* hic tanquam distincta à *mittente* Jehovah & Spiritu ejus persona repræsentatur, ut ex illis patebit, quæ dicenda sunt inferius Sect. III. §. 1. & 2. Hinc præsuppositio nostræ explicationis veritatem probamus

§. 3.



§

§. 3. I. Ex eo, quia hic loquens & missus suam declarat *præscientiam*, quando populum docet Israeliticum, sese hoc prædicere, antequam eveniret v. 3. & quando v. 8. prædicit, quod præsciverit se à Populo Israëlítico contemptum iri. Scimus quidem Prophetas etiam, aliosque sanctos DEI Viros futura prædixisse, ut passim nos Scriptura docet; sed aliâ prorsus ratione prædicit futura quispiam Vir sanctus, aliâ hic loquens & missus. Prior prædicit ut causa instrumentalis ex revelatione aliqua temporali: Posterior principaliter ut revelans, non tanquam ille cui per alium futura sunt revelata. Hoc modo etiam h. l. prædicit tanquam causa principalis futura, ex abstractiva & intuitiva scientia ab ipsâ formaliter Essentia divina specificata, attamen in præscibili objective spectato ut tali terminato terminante; Causæ autem instrumentali diversimodè notificatis, accidentaliter. Egregie in hanc rem Dionysius (qui putatur esse Areopagita:) *Divina sapientia ipsiusmet sapientie atque omnium eorum mentis, rationis ac sensus principium & causa & procreatrix & perfectio & terminatio dicta est*, de divin. Nomin. cap. 7. Hoc autem modo jam enucleato loquentis præscientia nobis in præsentis loco sistitur (a.) dum remouetur omne externum principium revelans & ad ipsum missum prædictio refertur. Vid. v. 5. (b.) dum indicatur principium prædictionis, ipsum os Domini missi v. 3. (c.) dum, quod ipse missus præscientiæ atque prædictionis causa principalis sit, sub se causam instrumentalem habens, v. 6. indigitur. Atque hanc ratione prædictio nemini extra DEUM tribui potest Jes. XLIII. 9. & XLIV. 7. Cum itaque huic missio attributum soli Deo proprium tribuatur, necessarium quoque erit admittere

B 3

hunc

hunc DEUM esse. Hôc autem admiffô, jam patet ex præfupposito Filium DEI intelligi debere.

§. 4. Idem probatur II. ex v. 11. ubi idem missus & loquens ait: *se se non daturum suam* (intellige divinam) *gloriam alteri.* Qui iterum non Propheta Jesaias, sed DEUS est (α.) quia hæc gloria divina est, nimirum rerum talium perpatratio, quæ in v. 10 & 11. referuntur: has enim efficere Prophetæ veletiam alii datum non erat. At habere gloriam divinam Deitatis quoque habitationem præsupponit. (β.) Locus parallelus Jes. XLII. 8. idem demonstrat, in quo hoc edifferens est יהוה, qui illud Nomen tanquam sibi proprium appropriat, dum subjungit: *יהוה שמי hoc Nomen meum.* Ibidem ergo ipsum loqui DEUM dubitari nequit. Cum verò idem dictum atque eadem oratio h. l. occurrat, quam DEUS singulariter sibi tribuit, patet, *missum*, eò ipsô, dum verba DEI loquentis sibi quoque tribuit, se se DEUM esse declarasse. Hoc statim III. ulterius demonstrat immediatè sequens v. 12. ubi missus dicitur esse ראשון *primus*, & אחרון *postremus*. His ipsis enim verbis DEUM denotari Messiam, qui gloriam suam alteri dare non vult, & qui se missum esse dicit, probo (1.) quia per hanc phrasin æternitas notatur: Vide Summi Theologi B. Calovii Annotat. Biblic. Anti-Grot. ad Jesaiæ cap. XLI. 4. At propria æternitatis ratio formalis nemini præter DEUM tribui potest, ut ipse DEUS innuit Zach. 1. 4. 5. hominibus se se quoad hoc opponens. In interminabilitate autem vitæ oppositionis ratio fundatur. Illa igitur ex parte correlati hominis negata, vi foundationis ipsius oppositionis, interminabilitatem solitariam ex parte DEI virtualiter includit ponitque, adeoque æternitatem DEO soli competere evincit. (2.) quia FILIUS DEI sibi hoc competere ipse docet Apoc. XXI.

XXI.6. dum ait, quod sit ἀρχὴ καὶ τέλος, principium & finis &  
cap. XXII. v. 1. adhuc clarius ait, quod sit ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ  
πρῶτος καὶ ἔσχατος, principium & finis, primus & novissimus.

§. 5. Missum hunc Filium DEI esse confirmat  
IV. sine ulla refragatione *Opus creationis*, quod hic mis-  
sus v. 13. sibi disertè tribuit. Manus enim suas fundasse  
terram & dextram mensurasse cœlum indicat. His  
autem verbis indicari Deitatem missi probo (1.) quia ter-  
ram fundare est ipsam terram creare, ut quidem aper-  
tè constat ex Job. XXXIIX. v. 4. Ps. CIV. 5. Zach.  
XII. 1. Creatio verò nulli nisi Enti infinito, nempe DEO  
competit, qui creationis adæqvata & solitaria est causa,  
uti quidem ipse satis perspicuè indicat Jes. cap. XLIV.  
24. his verbis: *Ego Dominus faciens omnia, extendens cœ-*  
*los*, יהוה לבדי *solus ego*, ubi ipse Dominus יהוה loquitur de  
creatione. Respicit enim ad primam cœli creationem,  
in cujus historia Moses vocabulum עקר adhibet, quod  
cum voce נטא à Jesaia hîc usurpata eadē *extensionis* signi-  
ficatione gaudet: est enim א עקר quod *expandere, exten-*  
*dere, diducere* significat, ut passim in S. Scriptura & vel  
in illo ipso Jesaia Loco cap. XLIV. 24. adhibetur, ubi  
inciso ultimo additur עקר ארץ *expandens terram*. Hanc  
autem cœli extensionem ita Jehovah sibi tribuit, ut soli-  
tariè eam efficiat (2.) Cœlum dextrâ mensurare est so-  
lius DEI opus, quod nulla creatura extra DEUM per-  
agere potest, hinc ipse DEUS quærit: *Quis mensus est*  
*in pugillo suo aquas & in palmo cœlos direxit & continuit in*  
*mensura ternaria pulverem terræ?* Jes XL. v. 12. & in sub-  
sequenti v. 18. DEUS respondet, quoad hæc enumerata,  
neminem DEO assimilari posse. Confer & Jerem. XXXI.  
37. Cum itaque tale attributum h. l. loquens & missus  
sibi vendicat, consequenter ipsum se DEUM esse decla-  
rat.

8  
rat. Confirmat. V. nostram explicationem *Omnipotentie opus*, quod in hoc ipso versu cum creatione terræ cœlique dimensione sibi assignat, dicens: *Voco eos, stabunt simul.* Hoc enim omnipotentiae illimitatae potestatis signum est, ut mandato signoque indicato obsequium præstent ac vocationi se fistant: Nam quando DEUS dicit, tum existit, & quando precipit tum stat, juxta Ps. XXXIII. 9. quia nullum à DEO verbum separabitur, Jerem. XXXIII. 17. Etenim apud DEUM πᾶν ῥῆμα omne verbum non est impossibile Luc. 1. 37. Quippe perfecte potestatis est naturam posse facientis, quod possit significare sermo dicentis. Atque ita, cum, quicquid dici potest, id ipsum & effici possit, dicente Hilario Pictaviensi libr. 5. de Trin. f. m. 49. Quis verò talem illimitatam potentiam creaturæ tribueret? Certè hæc potentia independentis indicium est.

§. 6. Succedit VI. attendendum, quod ille v. 15. dicat: *Ego, Ego locutus sum, vocavi eum & adduxi eum.* Hæc verò ipsum effari DEUM, negari nequit, cum is Reges adducat & deducat, 2. Reg. XIX. 28. Jes. VII 17. Si Propheta hæc de se protulisset, quâ veritatis specie hæc dixisset? an Propheta Babyloniae destructorem evocavit? an illum fecit adventantem? Hæc uti vires Prophetæ excedunt, ita indicant de se Prophetam non loqui, sed alium superiorem fortioremque introducere loquentem. Hæc res ulterius patescit dum VII. idem loquens proximè sequente v. 17. ait: *sic dixit Dominus Redemptor tuus.* Hæc enim verba indicant, missum h. l. Messiam DEI Filium esse. Nam (1.) evincit hoc essentiale DEI Nomen יהוה creaturis incommunicabile, quod hic idem, qui sermonem de sua missione instituit atque sermonem ulterius continuaturus in hoc versu 17. pergit,

pergit, sibi attribuit. Cum verò hoc nomen soli Deo sine ulla restrictione apposita & determinante proprium sit, hinc DEUM hinc loqui & ut missum se nobis sistere, firmiter infertur (2.) Idem constat ex eo, quando hic loquens appellatur יהוה גאלך *Deus Redemptor tuus*. Vocem גאל à radice גאל *redemit, vindicavit in libertatem jure hereditatis &c.* descendere inq; propria significatione Christo competere, vult Coccejus in suo Comment. in Jobum f. m. 270. Neq; contemnenda esse videtur observatio Försteri, quod, quando hæc vox Nomini Divino apponitur, secunda Deitatis Persona denotetur. (3.) Hoc ostendi potest ex eo, quando in hoc ipso versu קדש ישראל *Sanctus Israël* appellatur: hoc enim nomen solitariè Deo adeoq; & Filio DEI competere negari nequit. Hæc enim phrasi eminentissima sanctitas indigitatur. Nam hæc phrasis & verus DEUS tanquam synonyma permutantur, II. Reg. XIX. 22. Ps. LXXI. v. 22. Ps. LXXVIII. 41. Ps. LXXXIX. 19. Et vel apud Jesaiam nostrum *Sanctus Israël* & verus DEUS XXVII, vicibus inter se permutantur. (4.) Hoc ulterius demonstrari potest ex ultima illa appellatione, dum missus de se dicit: אני יהוה אלהיך *Ego Dominus Deus tuus*. An verò Propheta aut alius quispiam, si vel maxime Rex fuerit potentissimus, ita de se loqui potuisset? Quis hominū unquam fuit DEUS Israël & quidem verus proprieq; sic dictus, qui sibi Nomen DEI & essentielle & personale simul tribuere potuisset? Apparet ergò hominem intelligi non posse, sed ipsum DEUM, qui hac appellatione Deuter. VI. 5. & alibi passim in S. Literis se insignivit.

§. 7. Quid multis? Si in explicanda S. Scriptura *veritatis regula est concentus & consensio Legis & Prophetarum, consentiente Testamento quod per Domini adventum*

B

eraditur

*traditur*, ut Clemens Alexandr. Libr. 6. Strom. f. m. 676. loquitur, certè nostram expositionem non turbidæ fidei nec ambiguae sed indubitatae liquentisq; veritatis esse constabit. Nam VIII. S. Scriptura in aliis quoq; Locis Filium DEI in hoc versu 16. loqui, omniaq; hujus versus verba ipsi tribuenda esse, tanquam ab ipso prolata, significat clareq; dicit. Et quidem (1.) Jes XLV. 19. Verba ex cap. XLVIII. v. 16. & 17. quæ hæc sunt: לא בסתר & ita verti possunt: *Non in abscondito locutus sum, in loco terra tenebricoso.* Et post pauca: אני יהוה דבר צדק מגיד מישרים: *Ego sum Dominus, qui loquitur justitiam & annunciat rectitudines,* profert Salvator, qui salvat Israëlem æterna salvatione v. 17. qui profectò Messias est; is enim & solvendo pœnas peccatis populi Israëlitici ob rigorem immutabilis DEI Justitiæ debitas, & acqvirendo Justitiam æterna salvatione salvat, ut docet Jes. Cap. LIII. & Jer. Cap. XXIII: v. 6. atq; collatio Hebr. IX. 12. Messias verò in Loco parallelo jam allegato, ita hæc verba de se usurpat, ut his ipsis discrimen sui à gentiliis de astris insinuet. Si verò quispiam hæc verba ad Prophetam aliquem vel Regem referre vellet ex Cap. XLVIII. certè in Loco parallelo Cap. XLV. omnis distinguendi ratio ob parallelismum horum exspiraret. Potuissent enim excipere Israëlitæ: an hoc sufficiens signum discernendi verum Deum à falsis Diis? annon hæc in quibus Deus verus opponitur falsis, etiam hominibus competunt? Præterea cum *abyssus V. T. invocet abyssum evangelicam*, juxta acutum Hieronymi dicterium, in præfat. qq. ad Hedib. & cum *V. T. circa Personam Christi non vacillet auctoritas, dum N. T. manifestatione fulcitur; nec N. T. intercepta sit potestas, dum rædibus V. T. ejusdem nititur veritas*, dicente Novat. in Libr. de

de

de Trin. hinc (2.) ad Nov. Test. recurrimus, in quo clarius adhuc lumen sese pandit, veritatem nostræ explicationis in se lucidam ostendens, nimirum Joh. XVIII. v. 20. ubi *verba illa: in occulto locutus sum nihil*, repetit Christus ex Jes. XLV. v. 19. ubi verus æternusq; Deus creator cœli ac terræ dicit: *non in abscondito locutus sum, in loco terre tenebricoso.* Christus igitur hæc verba coram, Pontifice repetens, remittit eum ad Locum Jesaiæ ac, docet, se verum esse illum ac æternum Deum, Creatorem cœli ac terræ, qui per Jesaiam hæc verba olim protulit eademq; in propria persona hoc loco repetit; ac in capite illo sub persona Cyri de Messia ejusq; beneficiis, præclarū extare testimoniū, res ipsa luculenter ostendit. Hæc Gerhardus, tertius ille orbis Evangelici Atlas cap. VI. Harmon. Evang. cujus verba adscribere propterea volui, quia parallelismum perspicue exprimunt. Si ulterius verba illa in hoc nostro versu 16. occurrence attendimus, suppeditabunt nobis IX. aliam adhuc pro nostra explicatione rationem. Nam dicit missus de se: *אני כשהיוותה שם* à tempore esse illud ibi ego eram. Ubi indicatur præexistentia hujus dicentis in momento illius temporis, quo omnia in præcedentibus adducta exstiterunt. Affixum enim *אני* scæminini generis tertiæ personæ singularis, loco neutrius hîc positum, nihil quicquam respicere potest aliud nisi præcedentia in hoc affixo collectivè sumpta, ut Scripturæ S. est solenne & harum rerum gnaris obvium. Numquid autem quispiam Prophetæ hæc tribuere posset? Num Propheta ante terræ foundationem exstitit? &c. Varia hîc quidem effugia quæerunt Rabbini, sed ea sequ. Sect. 2. obstruemus.

§. 8. Hactenus argumentis ex ipsius S. Scripturæ rivulis emanantibus nostram sententiam corroboravi-

mus, quæ per se quidem sufficere possent; addimus tamen his X. *Consensum antiquissimorum Ecclesie Doctorum.* Equidem hunc consensum non divinam sed humanam gignere certitudinem non diffiteor, quia non fundamenti sed testimonii loco adhibendus est, juxta Epilog. Form. Concord. Interim tamen Patrum consensus S. Scripturæ subordinatus non planè est negligendus. Eorum quidem expositiones non habere ut canonicas, sed tamen eas ex canonicis considerare & quod in eis divinarum Scripturarum Autoritati congruit, accipere, quod autem non congruit respuere decet, juxta Augustin, lib: 2. contra Gresson. Gramm. cap. 31. Apponendæ igitur expositiones erunt nostræ conformes. Obvenit nobis primo intuitu ex seculo III. Pater ille adamantinus, cuius rationes adamantinis quibusdam quasi vinculis non absimiles vise sunt, juxta Photium in Myriob. Cod. 118. Origenes is est, qui nostram explicationem fovet lib. 1. contra Celsum scribens: *Heus tu, quis apud Jesaiam sic loquitur; καὶ οὐκ ἔγνω ὁ θεὸς ἀπέστειλόν με καὶ τὸ πνεῦμα αὐτῶν, & da* verba cum ambiguis habeant sensum, utrum Pater & Sanctus Spiritus miserint Christum; an Pater miserit Christum & Sanctum Spiritum? posterior est verus, nempe post Servatorem missus est Spiritus Sanctus. Quamvis autem Origenes in eo sit à nobis alienus, dum Spiritum S. refert non ad mittentem, sed ad missum; interim tamen in eo etiam nobis adstipulatur, dum per missum intelligit Christum. Ex seculo IV. nobis se offert homo, qui divinarum rerum intimos recessus eximiè penetraverat (judicio Isidori Pelusiotæ) S. Athanasius, Alexandrinus Episcopus, qui in Orat. de S. Dei. para Tom. 1. Opp. edit. Paris. fol. 1039. postquam nostrum præmiserat locum, hæc subjungit: *manifesto seipsum per hæc declaratans, quod ipse DEUS, qui fecit cælum & terram hæc*  
*dicat*



dicat, & nunc Dominus misit me & Spiritus eius. Equidem non diffiteor inter Criticos magnam esse de allegato hoc scripto controversiam & à Bellarmino etiam suppositiis annumerari; verum & hoc fateri necessum erit, non immeritò hæc verba allegari, tum quia ipsum loci sensum exprimunt rationemq; solidam addunt, tum quia etiam ab ipso Bellarmino aliisque Pontificiis allegantur sub Athanasii nomine: parilis ergò mihi etiam libertas erit concessa. Interim tamen si controversus hic Athanasii Locus non placet, placeat ille, quem exhibet Thomas Opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 14.

§. 8. Ex eodem seculo *Basilus M.* Lib. 3. contra Eunom. f. m. 140, eodem modo exponit, cujus hæc sunt verba: *Jesaias ex persona Domini videlicet secundum humanitatem eius, Dominus, inquit, misit me & Spiritus eius.* Applaudit *Ambrosius*: *Quis est, qui dicit: misit me Dominus & Spiritus eius? nisi qui venit à Patre, ut salvos faceret peccatores lib. 3. de Spiritu S. cap. I. Considera que Dominus noster Jesus Christus in Jesaiâ locutus est, à Spiritu sancto esse se missum - - Habes igitur scriptum, quod Filius à Patre & Spiritu eius dicat esse se missum, ait idem lib. 2. de fide cap. 4. Hieronymus in Comment. suo super nostrum Locum hanc habet paraphrasin: Ego qui semper eram cum Patre & in Patre & sine Patre nunquam eram etiam nunc loquor & iuxta fragilitatem carnis assumpta dico, Misit Dominus Deus miserit me & Spiritus eius.* *Eusebius Pamphili* adducto hoc loco nostro talem subjungit exegezin: *Erat Deus verbum qui hæc dicit, quando verbo Domini cæli firmati sunt, ex eo Psalmi Loco, quem supra apposuimus: Sed enim eum ipsum quoque Dei verbum appellatione, ut Deus celebretur, tamen ipsius Patrem Dominum maximâ cum reverentiâ ac pietate bis Dominum ap-*

B 3

pellat

pellat ut in eo diversitate nominis utatur. Nunc enim, inquit, Dominus Dominus misit me. utpote cum & Pater & Deus sit & tam sui unigeniti verbi, quam eorum omnium, quæ illo posterius facta sunt. Lib. V. Demonstrat. Evangel. cap. 6. Chrysostomus in Homil, de Sancto & adorando Spiritu Tom. 3. hæc habet: Dixit, fundavi terram & feci cælum; quando facti sunt, illic aderam. Et nunc Dominus misit me & Spiritum suum. Te qui fecisti cælum & terram, qui dixisti astris, Dominus misit me & Spiritum suum, genuit secundum Deitatem, misit secundum carnem.

§. 9. Ex seculo V. Augustinus similem tradit explicationem, ita scribens: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus. Nempe ipse est, qui loquebatur sicut Dominus Deus: ne tamen intelligeretur Jesus Christus, nisi addidisset, & nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus: hoc enim dixit secundum formam servi de re futura, utens præteriti temporis verbo, quemadmodum apud eundem Prophetam legitur, sicut ovis ad immolandum ductus est, Lib. XX. de C. D. cap. 30. Idem Lib. 2. de Trin. cap. 5. apud Jesaiam Prophetam ipse Christus intelligitur de adventu suo futuro dicere: & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus. Concordat Paschasius Ecclesiæ Romanæ quondam eruditus & orthodoxus Diaconus in Lib. de Spiritu Sancto cap. 7. Alter ergo in Persona est Dominus Pater, alter Spiritus DEI Patris. Itaque à Patre & Spiritu Sancto destinari legitur Filius. In seculo VI. nobiscum conspirat præclarus ille Ruspensis in Africa Episcopus, S. Fulgentius, (verè fulgentis eruditionis Vir, cujusque nomen semper fuit in Ecclesia celeberrimum, Johanne Molano Teste) in hisce verbis: A Patre & Spiritu missus invenitur Filius. Quod ipse Filius per Prophetam, multo antequam mitteretur dixit: & alio ejusdem Prophetæ (Jesaiæ)

faia)

isaïæ) loco à Domino atque ejus Spiritu se missum bis verbis ostendit: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus Lib. 2. ad Monim. cap. 6. Adducitur hæc Fulgentii explicatio integra & approbatür à Theodulpho Aurelianensi Episcopo tempore Caroli M. claro, in libro de sententiis Veterum, quod Spiritus S. à Patre & Filio procedat. Anastasius Sinaita, qui erat in divinis maxime eruditus & in moribus viteq; conversatione præcipuus, ut Evagrius testis est Lib. IV. Hist. Eccles. cap. 40. eandem nobiscum tenet interpretationem: ita enim hunc locum exponit: Filium ipsum mihi docemur non à Patre modo sed etiam à Spiritu Sancto, sicut per Jesaiam confirmat. Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus, Lib. I. de rectis fidei Cathol. Dogmat. fol. 370. Tom. I. Biblioth. PP. Margarini de la Bigne Edit. Paris. Nec dissentit Procopius Gazæus in Comment. in cap. XLVIII. 16. Jesaiæ. Ex seculo VII. produco XIX. Patres nimirum illos in Concilio Toletano XI. congregatos, qui in hoc Concilio eximiam fidei professionem de Trinitate & Essentia Divina ediderunt. In illa autem fidei professione Textum nostrum eodem modo ut nos acceperunt & intellexerunt. Verba in ipsa fidei professione occurrentia hæc sunt: Missus Filius non solum à Patre, sed & à Spiritu Sancto missus esse credendus est, in eo quod per Prophetam dicit: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus. Tom. II. Concil. Colon. Edit. f. 887. Adde his etiam (ut numerus compleatur) Isidorum Hispalensem in lib. de nativ. Dom. cap. 4.

§. 10. Suffulcit XI. nostram interpretationem variorum & celebrium planè Interpretum cumulus, qui nobiscum consentiunt. Judæos nostram explicationem tenentes Petrus Galatinus (sed quâ fide Lector ipse videat) lib. 3. de arc. Cath. Ver. cap. 3. adducit. Ex Pontificiis

ficiis

ficiis nobiscum faciunt ipse *Thomas de Aq.* p. 1. q. 43. a. 8. *Certum est*, scribit *Bellarminus*, *bunc missum non esse Patrem*, tum quia *Pater non habet, à quo missi possit*, tum etiam quia *Filius testatur se missum esse à Patre Job. VIII. & à Spiritu Sancto Luc. IV. & tamen videmus bunc ipsum missum esse illum Dominum Deum, qui fecit caelum & terram, & qui est primus & novissimus.* Paria habet *Emanuel à Sa* in annotat. in h. l. *Ex Reformatis nobiscum sentit Samuel Maresius in System. Theol. pag. 31. Verba hæc scribit Matthæus Polus, sunt potius Filii: nam is, qui id loquitur non Homo est, sed Deus, in synopsi Critic. pag. 437: quod latius ibidem deducit. Ex Nostris vid. Job. Brentius in Commentar. in h. l. Nicol. Selneccerus in der Summarischen Auslegung der Propheten p. 120. Hülssemannus in Vindiciis Script S. Art. IV. B. Varenius h. l. &c.*

§. II. *Qvis per Dominum loquentem & missum sit intelligendus, satis pro ratione instituti declaravimus; jam quoque per mittentem quis indigetetur, ut expediamus, restat.* Ubi initio statim observandum erit, quod ille partim sit יהוה ארני i. e. *Dominus Dominus*, partim רוחו, i. e. *Spiritus ejus*: illi enim per Vau copulativum connectuntur; adeoque h. l. ostenditur missionem illam activè ab illis simul consideratis provenire. Hinc primo nobis loco venit considerandus יהוה ארני *Dominus Dominus*, deinceps ejus quoque *Spiritus*. Ubi quidem notandum est, quod licet ארני & יהוה sint nomina, quæ aliàs quoque duas Divinitatis personas innuunt, utpote cum duo distincta sint nomina duo distincta nominata exprimentia, ut Ps. CX. 1. יהוה ארני dixit Dominus Domino meo; at verò duas h. l. diveritas non designant, sed unam duntaxat personam, quæ per accentum quoque conjunctivum

Darga

Darga connectuntur, Exod. XXIII. 17. De voce אֲרֹנִי ita scribit *Edvardus Leigh*: אֲרֹנִי de hominibus dicitur; Dominus, quibus instar sustentat & regit domum aut Politiam. Et ex hoc appellativo formatur DEI proprium seu epitheton per litteram ׀ in fine additam precedente Kamez, in Critica S. V. T. pag. 8. sed in his Critici hujus verbis occurrunt quaedam obelo digna. Nam (1) vocis hujus usurpatio insufficienter ab Autore traditur, dum ait, de hominibus usurpari; cum saepissime etiam de DEO usurpetur, vide Jos. III. 11. Ps. CXIV. 7. Zach. IV. 14. Neque etiam *Job. Crellius*, Socinianismi propugnator acerrimus negare potuit אֲרֹנִי de DEO usurpari, licet addat אֲרֹנִי non poni absolute pro DEO, sed cum adjectione aliqua sive etiam in conjunctione cum alio DEI nomine. (2.) Nectolerari potest quod ita simpliciter absque ulla aliqua adjectione asserat אֲרֹנִי appellativum esse. Licet enim haec vox nude posita DEO & hominibus tribuatur; interim tamen cum הָ de demonstrativo soli DEO propria est: Nam Exod. XXXIV. 23. אֱלֹהֵי & יְהוָה, הָאֲרֹנִי, ut Synonyma usurpantur.

§. 12. Quod verò per אֲרֹנִי יְהוָה prima Deitatis persona, DEUS Pater, intelligatur, quæ Filium mittit, patet (1.) ex ipsa voce אֲרֹנִי, illa enim cum Kamez finali est summi DEI propria, observante inter alios Buxtorfio p. 1. de orig. punct. cap. 14. sic Abraham in compellatione Angeli increati utitur voce אֲרֹנִי cum Gen. XVIII. 30. 32. in cuius locum saepius etiam adhibet יְהוָה adeoque haec tanquam synonyma permutat v. 2. 3. 17. Demonstrato autem hoc, quod per אֲרֹנִי mittentem DEUS intelligatur verus, nullum amplius dubium remanet, Patrem illum esse, quia Filius ut missus & Spiritus S. ut alia persona mittens ab eodem hic distinguuntur. (2.)

G

No-

Nomen יהוה quod cum ארני per accentum, uti dictum, connectitur, idem luculenter docet, quod quia est Nomen creaturis extra DEUM incommunicabile, confidenda in eius Sect. III. hinc constat DEUM verum proprieq; sic dictum & per consequens DEUM Patrem indigitari. (3.) Missio Christi, de qua sermo hic est, nemini præter verum DEUM competit. Posito autem Prophetam intelligi per *missum*, (quod tamen falsum, uti superius est demonstratum) certe nemini præter Deum missio Prophetarum competit, uti constat ex Jer. XXIII. v. 21. Si verò Christus intelligitur per *missum*, ut dubitari non debet, multo minus ejus missio homini alicui potest adscribi: Ergo Deus & consequenter prima Deitatis persona intelligitur. (4.) Non dissentiunt hic ipsi Adversarii, docentes insinuari originem missionis à DEO Patre. Licet enim negent Patrem ut generantem Filium consubstantialem & coæternum, non tamen inficiantur DEUM Patrem (non in respectu illo ad generationem Filii sed alio) h. l. intelligi.

§. 13. Cum itaq; certum sit per ארני יהוה *mittentem* denotari Patrem, restat, ut ad ultimum quoq; in Exegesi pertractandum deveniamus, nimirum quisnam per *mittentem Spiritum* significetur? Ubi quidem statim sese nobis offert vocabulum רוח, in quod, ut pariter inquiramus, necessitas efflagitare videtur. Advertimus autem denuò insufficientem significationum evolutionem apud *Edwardum Leigh* l. c. p. 478. Omisit enim præcipuam & crebriorem ejus significationem, quâ Spiritum S. tertiam Deitatis personam denotat. Determinanda autem nobis potissimum erit controversia quædam, quæ circa hanc vocem, prout in nostro occurrit loco, exoritur: Quæritur enim inter varios

rios

rios Interpretes, an hæc vox רוּחוּ fit vertenda in Nominativo: & Spiritus ejus; an verò in Accusativo: Spiritum suum, adeoq; utrum vox illa non ad mittentem sed ad missum pertineat? Sunt certè qui censent hunc Spiritum non ad mittentem, sed ad missum esse referendum, (quos infra sect. III. nominabimus) ut sensus juxta eos hic sit: *Nunc Dominus mittit me & spiritum suum.*

§. 14. Hanc autem sententiam de spiritu mittente facile admittet, qui in fontes inquirere valuerit. Nam si fontem consulamus, ostendit ille, non in Accusativo sed in Nominativo hanc vocem esse transferendam, adeoq; ad mittentem, referendam. Nam (1) Accentuationis forma, quæ h. l. occurrit, non permittit, ut vertamus in Accusativo Spiritum suum; sed potius in Nominativo רוּחוּ & Spiritus ejus, transferendum esse jubet. Si enim רוּחוּ deberet esse Accusativi casus, foret in nexu Syntactico cum priori affixo (יִ) me in voce שלחני misit me, adeoq; obtineret aliqua conjunctio verbi & nominis hujus, mediante Merca, accentu conjunctivo, Silluki servo, in voce שלחני misit me, hoc modo: יִדְנִי יְהוָה שְׁלַחְנִי וְרוּחוּ, jam verò quum verbum illud cum affixo habeat distinctivum Tiphcha, hoc ipso ostenditur nomen רוּחוּ & Spiritus ejus non ad proximum verbum mittendi in casu Accusativo pertinere, sed cum remotiori nomine יְהוָה Dominus, in Nominativo esse construendum.

§. 15. Accedit (2) quod si vox רוּחוּ in Accusativo fuisset reddenda, tum huic voci pro inferendo hoc sensu & tollenda æquivocatione præmittenda fuisset Accusativi nota, nempe particula אֶת hoc modo: שלחני וְאֶת-רוּחוּ cum præcedens verbum שלחני non admittat hic Accusativum sine interventu particulae

נן quæ post verbum activum, à quo regitur, semper  
 Accusativi casus indicium est, ut observarunt Ortho-  
 doxi contra Syncretistas & alios ad locum Genes. IV, 1.  
 Confer inprimis Venerandi Dn. Præsidis Disputationes  
 de *Triverbio Eve*, ubi varias etiam Adversariorum ex-  
 ceptiones diluit. Consentit B. Pfeifferus in dub. vex.  
 h. l. Præterea (3.) Si parallelum Jes. LXI. 1. locum consulu-  
 erimus, idem is demonstrabit. Prædicantur ibi eadem  
 ferè de Spiritu quæ in nostro. Spiritus autem ille non  
 ibi in casu Accusativo, tanquam missus, sed in Nomi-  
 nativo tanquam *veniens super Messiam* ungendum eum-  
 que mittens sistitur. Ità enim habent verba: *Spiritus*  
*Domini super me, eo quod Dominus unxit me ad annuncian-*  
*dum misit me* &c. In quo loco Messias à Prophe-  
 ta ut loquens introducitur, qui sermonem instituit de  
 sua missione, de officio suo Prophetico deque facta eam  
 ob causam unctione. Ibi autem non conjungitur Spi-  
 ritus S. cum Christo missus ut missus, sed potius cum Je-  
 hovah mittente & ungente, adeoque missio Spiritui S.  
 non passivè sed active tribuitur & ipsa vox in Nominati-  
 vo effertur. Si proinde illud parallelus nos locus edo-  
 cet, quidni cum & accentuationis lingvæque ratio idem  
 syadeat, hanc vocem in Nominativo accipiamus?

§. 16. Neque contemnendum est (4.) quod  
 Masora ad hunc locum tria annotaverit ורוחו, nimirum  
 primum in initio, secundum in medio & tertium in fi-  
 ne versus, quæ omnia in Jesaia occurrunt, nempe hoc  
 loco & cap. 30. 28. & cap. 34. 16. Ex his duo præter no-  
 strum sunt Nominativi casus extra ullam controversi-  
 am; quæ ratio ergò, ut singulariter hîc in Accusativo  
 accipiamus, syadet? Addimus (5.) quod peritissimi  
 lingvæ Hebrææ Interpretes illud ורוחו in Nominativo  
 & non



& non in Accusativo accipiant, R. Dav. Kimchi & R. Saadia in h.l. ex וְרוּחַו fecerunt בְּרוּחַו *per Spiritum suum.* Quamvis autem eorum sententiam improbemus, dum pro וְרוּחַו ponunt בְּרוּחַו quia in S. Scriptura exemplis caret & quæ Kimchi adfert, nihil evincunt; vid. *Amamah. l.* Interim tamen dum וְרוּחַו reddunt *per Spiritum suum*, eo ipso ostendunt Spiritum h. l. indicari non ut missum, sed ut mittentem. In Nominativo vertit hanc vocem S. Hieronymus in Comment. h. l. cujus versio tanto magis suscipienda est, quia ille tantam sibi Divinarum rerum eruditionem & eruditionis nomen comparavit, ut in obscuris sanctorum Voluminum difficultatibus Romanus Pontifex Damasus, doctissimus Augustinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus multiqve alii passim per Italiam, Hispaniam, Africam, Palæstinam & Græciam eruditissimi Episcopi ad hunc unum confugerent, tanquam ad eum, qui in multiplici Linguarum varietate adjutus omnes legisset Divinæ Scripturæ Interpretes, Græcos, Hebræos & Latinos, ceu loquitur *Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. S. f. m. 301.* Consentit Vatablus ita transferens: *Et nunc Dominus Jehovab mittit me & Spiritus ejus;* uti & Xantes Pagninus & Arias Montanus: *Et nunc Dominus Deus (Arias: Dominus Dominus) misit me & Spiritus ejus.* Item Tremellius: *Jehovab mittit me & Spiritus ejus.*

§. 17. Ex dictis ergo sic satis, ut opinor, patescit, וְרוּחַו in Nominativo & non in Accusativo transterendum esse: sed quis h. l. intelligatur ulterius dispiciendum erit. Nobis, quicquid aliis etiam videatur, *Spiritum S.* tertiam Deitatis personam denotari, hisce potissimum rationibus persuasum est: (1) per *spiritum Jehovab* sive *Dei* in S. Scriptura Spiritus Sanctus passim intelligitur,

C 3

uti

uti jam ex antiquis observavit Gregorius Nazianzenus scribens: *Vocatur* (in S. Scriptura) *Dei Spiritus, Christi Spiritus, Mens Christi, Spiritus Domini*, in Orat. VI. f. m. 200. Confer in hanc rem Dicta Biblica Genes. VI. v. 30. Judic. cap. III. 10. I. Sam. X. 6. II. Sam. XXIII. 2. Ps. CXXXIX. 7. Jes. cap. XI. 2. Ezech. XI. 5. (II.) Spiritus hicce Dei in opere missionis cum ipso Jehovah conjungitur, ita ut ad illud opus eodem, quo Jehovah, modo concurrat. Verbum enim יהוה subjungitur in eadem structura Textus & Jehovah mittenti & ejusdem Spiritui. Sicut ergo Jehovah mittit, ita & ejusdem Spiritus. Præterea in antecedentibus demonstratum est, per missum h. l. Filium DEI significari: Jam ex hisce duplici modo colligimus, denotari h. l. Spiritum S. & quidem (a) ex parte missionis ipsius huic Spiritui eodem modo ut Jehovah Domino tributæ. Etenim nulla creatura ad illud summum assurgit fastigium, ut eodem modo Filium DEI mittat, quo quidem Pater. (β) Ex parte ipsius Missi: profecto nulla extra Deitatis sinum persona Filium Dei mittit; quum verò illa neque Pater neque Filius sit per יהוה denotatus, restat ut dicamus hanc personam esse Spiritum S. Patrem enim non esse vel inde patet, quia expressè huic Spiritui mittenti contradistinguitur. Expressam enim differentiam insinuat loquens & missus: Si quidem distinguit Jehovah mittentem & Spiritum ejus. Neque Filium per Spiritum ejus intelligi posse patet, quia hic missus non mittens est.

§. 18. (III.) Missio hæc Spiritui huic tributa ostendit certam distinctam & per consequens tertiam Deitatis Personam Spiritum Sanctum esse intelligendam. Nam missio est actio, eaque divina, quæ in ipsum DEI Filium tendit, atque hæc à Spiritu ceu à Patre Jehova, pro-

progreditur, uti ex modò dictis constare poterit; Itaq; aliquid divini intelligitur. Illud autem non est prima Deitatis persona. (1.) quia distincta sunt Nomina יהוה & ארני, distincta ergo sunt supposita, hisce nominibus suppositalibus signata Spiritus enim ipsius essentiæ nomen est, sicut & reliqua priora duo, quibus Pater denotatur. Certè *Adonai Jehova & ejus Spiritus* differentiam personalem indicant: alia enim persona *Adonai* alia *ejus Spiritus*, sicut Deus & ejus Filius; aliàs si *Adonai* & *ejus Spiritus* essent una eademq; Persona, non posset Christus dicere יהוה *spiritus ejus*, sed simpliciter יהוה. hoc sensu: *mittit me Jehovah Adonai spiritus*; cum verò dicatur *spiritus ejus*, expressè aliqua distinctio insinuatur. (2.) Si h. l. vox spiritus Patrem denotaret, quanta tautologia & battologia Filio DEI indigna esset commissa? evaderet enim hic sensus propositionis: *DEUS Pater misit me & Deus Pater*. Nam si per יהוה Deus Pater intelligendus esset, aliter sese hæc propositio habere non posset. (3.) Missio est actio; actio autem personæ est. Cum igitur & nomen hoc *spiritus ejus*, sit personæ indicativum, & huic actio intellectua- lis tribuatur, quis non videt per יהוה certam, veram, distinctam & propriè sic dictam personam intelligi debere? Jam verò hoc demonstrato, quod per vocem *Spiritus ejus* distincta à Patre persona intelligenda sit, facillimè ulterius liquere putarim, hanc aliam esse non posse quàm quidem tertiam Deitatis, quæ aliàs in S. Scriptura Spiritus S. dicitur. Filius DEI enim h. l. intelligi nequit, non tantum quia nunquam Spiritus Dei in S. Scriptura (quicquid etiam in contrarium habeat Coccejus ad ultima Mosis §. 1079.) appellatur, verum etiam

DEUS Pater misit me & Deus Pater. Nam si per יהוה Deus Pater intelligendus esset, aliter sese hæc propositio habere non posset. (3.) Missio est actio; actio autem personæ est. Cum igitur & nomen hoc *spiritus ejus*, sit personæ indicativum, & huic actio intellectua- lis tribuatur, quis non videt per יהוה certam, veram, distinctam & propriè sic dictam personam intelligi debere? Jam verò hoc demonstrato, quod per vocem *Spiritus ejus* distincta à Patre persona intelligenda sit, facillimè ulterius liquere putarim, hanc aliam esse non posse quàm quidem tertiam Deitatis, quæ aliàs in S. Scriptura Spiritus S. dicitur. Filius DEI enim h. l. intelligi nequit, non tantum quia nunquam Spiritus Dei in S. Scriptura (quicquid etiam in contrarium habeat Coccejus ad ultima Mosis §. 1079.) appellatur, verum etiam

si se ut missum, non ut mittentem innuit. Fixum ergo maneat, per  $\text{רוח}$  Spiritum S. intelligi debere.

§. 19. Ulterius hoc IV.) declarari potest ex consensu Doctorum antiquioris Ecclesiae, qui in interpretatione hujus loci per Spiritum hunc Spiritum S. intelligunt. Plura v. Patrum verba allegare superfedeo, partim quia jam in praeced. adducta repeti possunt, partim quia numerosa Patrum congeries non omnibus aequo ad palatum est. Itaque paucioribus contenti esse poterimus: *Didymus Alexandrinus* in libr. de Spiritu S. T. 9. *Bibl. P. P. Margarini de la Bigne* nobis hisce verbis suffragatur: *neque Pater mittente Filio non mittit, eum eadem voluntate Patris & Filij Spiritus S. veniat, Salvatore quoque per Prophetam loquente, sicut manifestum esse poterit ei, qui totum perlegerit locum: & Dominus misit me & Spiritus ejus. Asbanasius* in Epist. ad Serap. haec habet: *Dicite mihi an usquam legeritis in Sacris Literis, Spiritum Sanctum simpliciter nominari Spiritum, sine additamento eorum titulorum & absque ea observatione cuius supra meminimus? Verum mihi hoc nunquam dixeritis, utpote quod nusquam scriptum reperiri possit.* — *In Jesaia scriptum est, Spiritus Domini super me propterea unxit me — ac rursus, audite haec, nunc ab initio in occulto locutus sum vobis & ante quam fieret, illic eram, & nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.* Calculum addit S. *Augustinus* dicens: *Quis nisi Filius per Jesaiam adventum suum praenuncians dicit: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus, Vide evidenter, ecce ipse se dicit missum a Spiritu Sancto, qui fundavit terram & solidavit caelum, ubi agnoscitur Unigenitus per quem facta sunt omnia, consolatorem verum, quod officium, tanquam Personae in illa Trinitate, isti Spiritui Sancto deputat, in lib. de Trinitate, & Unitate DEI cap. 10. tom. IV. Opp. vide etiam Haymonem in h. l.*

SECTIO

## SECTIO II. ELENCTICA.

§. I.

Verum hætenus sensum loci indagavimus; jam quoque secundo, quæ ad *Elenctum* textualem faciunt, nimirum *Pseudhermenias* earumque rationes & quæ circa probationes nostras diverticula & exceptiones apud Adversantes observamus, examinare, simulque *abusum* loci retundere tenemur. Progrediamur verò eodem ordine, quo in Exegeſi sumus progressi, attendendo prius, quis per *loquentem* & *missum*, & deinceps quis per רוח seu *Spiritum ejus* à falsidicis glossatoribus intelligatur. Obdurati sanè recutitorum Rabbini desciscentes à Patrum suorum vestigiis, omniq; solido sese fundo destituentes per *missum* & *loquentem* intelligunt non *Messiam*, sed *Prophetam Jesaiam*. Ita Targum Jonathanis, R. Salomon, R. Aben Esra. R. D. Kimchi & imprimis (citante Müllero) R. Isaac Ben Aaron, qui putat Prophetam de se ipso loqui. Licet enim expresse in textu non legatur, nihilominus tamen id colligi debere dicit, quia Prophetis in more positum sit, mutata sæpius persona loqui. Sic Jes. I. 1. 2. 3. loqui Deum vs. 9. Prophetam. Jes. XLV. 23. loqui itidem DEUM sed vers. 25. loqui Prophetam. Jes. LIII. a vers. 1. usq; ad 11. loqui gentes, sed vers. 11 DEUM. Verum Resp. (1) patere nobis exinde Rabbiorum inconstantiam, & quod non habeant ubi pedem figant. Quanta, quæso, inconsequentia, aut ut mollius dicam, quam dubia sequele? aliquando fit permutatio, ut mox Propheta, mox Deus, mox alius in uno eodemq; capite loqvatur; ergo & in hoc capite: Anne ab *aliquando* ad *semper* indubitata est consequentia? Unde & ipse Raschi rei evidentia coactus confitetur, unicam loquentis personam hic obtinere.

D

nere.

ner. Resp. (2) Quemlibet incorrupti satis iudicii lectorem exemplorum jam adductorum partim a nostro textu disparitatem, partim etiam erroneam perversionem facile observaturum esse; In loco enim Jes. I. 9. clare satis intelligitur, quod hic Deus non loquatur: Nam DEUS fieri non potest sicut Sodom & Gomorra. In loco Jes. XLV. 25. perversio Judæorum conspicua est: Ibi enim expresse Messias refert, quid illi sint dicturi, qui incurvaturi sint genua, vide vers. 24. Pariter Jes. LIII. perversio pessima est Rabbinorum statuentium, loqui ibidem gentes, cum potius loquatur ibidem DEUS de Messia; ubi vero Propheta de Messia sermocinatur, ibi clara satis indicia adsunt. Ad nostrum vero locum quod attinet, supra sanè Sect. I. argumentis quam plurimis ostensum est, quod in toto cap. 48. Messias loquatur, adeo ut nullo prorsus indicio pateat, Prophetam & non Messiam loqui neque sermonem suum continuare. Omnia enim cohærent, estque admirabilis quædam locutionis continuatio, ita ut alia ex aliis nexa & omnia inter se apta colligataque appareant.

§. 2. Ex Christianis interpretibus *Cyrillus Alexandrinus* lib. 4. in Jes. per *missum* intelligit *Cyrum*, ita ut *Cyrus* hæc loquatur, *Dominus misit me & spiritus eius.* Verba *Cyrilli* hæc sunt: *Inter hæc verba ponit ipsius Cyri vocem, contentis, DEUM illum stimulasse & invictissimum ac Babyloniorum robore fortiozem reddidisse: etenim, inquit, Nunc Dominus misit me & spiritus eius.* Provocat probationis loco ad locum aliquem *Esdrae* his verbis: *sic enim scriptum est in primo libro Esdrae: Regnante Cyro Persarum Rege anno primo, ut conferret verbum Domini per os Hieremie, suscitavit Dominus Spiritum Cyri Regis Persarum.* Circa hanc verò *Cyrilli* expositionem notamus (1.) du-  
bium

bium adhuc esse, an Commentarius hic ex toto sit Cy-  
 rilli. Antonius enim Possevinus in apparatu tit. Cy-  
 rillus, multa esse addita quæ non sint Cyrilli, scribit. Si  
 ergo iudicio Possevini standum, parum sane auctori-  
 tatis hic Commentarius quoad verba jam adducta ob-  
 tinet. Unde enim certi erimus, hæc ipsius Cyrilli verba  
 & non aliunde interjecta esse? (2.) explicationem illam  
 textus cohærentiæ refragari. Nam missus hic Cyro se  
 expresse contradistinguit, ita quidem, ut Cyri evoca-  
 tio & adventus felix ab hoc misso proveniat. Vid. v. 15.  
 Hinc impossibile est, ut una eademq; persona esse que-  
 at in vers. 16 de sua missione loquens, & vers. 15. Cyrum  
 ut aliam personam evocans: Num enim Cyrus se ipsum  
 evocavit? (3.) Locum Esdræ I. 1, inconvenientissimè  
 adduci: nostro enim parallelus plane non est; sed  
 Propheta Jeremias tanquam parallelus adducitur, qui  
 prædixit de Cyro Persarum Rege cap. XXIX 10 seq.  
 Quanta vero sit diversitas inter locum Jeremiae & Jere-  
 miæ facile cuivis inspicienti liquet.

§. 3. Hæc ergo Cyrilli expositio (si ejus est)  
 quia subsistere nequit, hinc alii Interpretes illam non  
 sectantur; sed aliam (quæ tamen Judæis præced. §. 1.  
 jam notatis originem debet) in medium producendam  
 esse existimant, scilicet quod h. l. loquens de sua mis-  
 sione ipse *Propheta* sit *Jeremias*, qui, ut auctoritatem suæ  
 prædicationi conciliaret, ad divinam missionis suæ o-  
 riginem provocavit. Stant pro hac sententia de Pro-  
 pheta, tanquam pro navibus Ajax, quam plurimi, quam-  
 vis cum discrimine quodam: Nonnulli enim vertunt  
 vocem וְרוּחוֹ in Nominativo h. m. *Et nunc Dominus misit*  
*me* (Prophetam) *Et Spiritus ejus*. Alii vero in Accusato.  
*Et Spiritum suum*, alii *ipsius*. Ex Pontificis ita sentit Jo-  
 bannis

*bannes Mariana* in Scholiis in h. l. *'Laurentium'* quoque *Forerum* pro hac explicatione adducit *Caspar Sanctius*, qui consensum ei præbens ita scribit: *Propheta dicit se à principio, cum agere cœpit de excidio Babylonico & captivorum libertate, egisse verbis non obscuris, neque in recessu ac latebris sed aperte ac publice. Quod sane non auderet, nisi afflatus esset ab eo; qui nec fallere alios, neque ipse ullo alio modo posset falli. Que sententia mihi videtur valde verisimilis.* Ita *Sanctius* in *Comment. super Jes. h. l. col. 485.* Sed glossam hanc planè sensum textus pervertere, fatis evincunt argumenta præced. Sectione longo ordine adducta. Et quàm solida quæso est ratio quam *Sanctius col. 486. ex vers. 17. proponit?* Annon verba illa potius contrarium ostendunt, ut demonstratum est à nobis superius? Eandem explicationem licet aliis saltem verbis habet *Cornelius à Lapide* in h. l. qui quidem *typice de Christo hic agi* concedit, sed *magis literaliter de Propbeta.* At unde probat *Jesuita*, *Jesaiam* hic induere typum? Certe assertioni ejus nudæ non possumus assentiri nec debemus. Literaliter autem Christum intelligi debere & nos & ipsi Pontificii & Patres probarunt. Nihilominus tamen Pontificiis accedunt ex Reformatis *Huldricus Zwinglius* in *Apolog. complanat. in Jes. 48. 16. ita scribens: Epistropa est ad se ipsum. Vult enim Propbeta ostendere, se idcirco esse missum, ut hæc exponeret, quæ item antecesserunt & sequuntur.* Verum hæc *Epistrophe* fingitur non probatur, imo ex ipsius *Zwinglii* verbis confutatur: Si enim *Propheta* per *Epistrophem* hæc verba ad se direxit, quæ voluit ostendere aliis rationem & finem missionis? Certe hæc ita sunt comparata ut consistere nequeant. De eodem *Jesaiâ* exponunt etiam *Zwinglii* complices, nempe ipse *Job. Calvinus* & *Wolfgangus*

*ganges*



29

*Wolfgangus Musculus.* Calvinus enim *Comment.* in *Jesai.* pag. 401. ad hunc locum ita commentatur: *Nunc de se subjungit Isaias atque superiori doctrina accommodat hanc sententiam, ac testatur, Deum illum, qui ab initio locutus est per ipsum loqui; itaque sic habendam esse fidem eis, quae nunc Deus per ipsum loquitur ac si palam adesset.* Et post pauca. *Testatur ergo Propbeta, se nihil afferre suum, sed missum à Deo, qui se fidelem comprobavit. Spiritus mentionem facit, quod sit unicus Magister ac Director omnium prophetarum.* Verba *Wolfgangi Musculi* in *Comment.* super *Jes.* pag. 567. & 568. sic habent: *Loquitur hac Propbeta, asserens vaticiniis suis auctoritatem Dei & poscens fidem debitam nuncio Dei. Sensus est manifestus: Et nunc, inquit, quicquid vobis de vaticiniis meis videatur, nihil ex me ipso loquor. Dominator Dominus misit me. Hujus sum legatus. Quae loquor ex ipsius ore loquor. Illud: ET SPIRITUS EJUS. referendum est ad impulsum & afflatum Spiritus Dei, quo Propbeta à Deo missi aguntur & implentur: neque enim mittuntur tantum à Deo sed & Spiritu illius imbuuntur & ad loquendum afflantur. Ita Christus quoque discipulis suis promisit dicens: hauri vos estis loquentes &c. Consentit *Marloratus* in *Exposit.* *Eccles. Jes. f. 391*, *Quibus suffragantur Piscator Herbornensis, Conradus Pellicanus* in *Comment.* in h. l. & *Sebast. Münsterus* in *Bibliis Hebraeis*, item *Sebast. Castatio* in versione sua: *Dominus misit me & Spiritum suum.* Nec dissimulare possumus, quod ipsemet *Lutherus* ad h. l. *Tom. 4. Witteb. fol. 250. f. 2.*, per illorum vestigia ductus fuerit, qui reddunt in *Accus. und seinen Geist.* Verum (ut à *Luthero* statim responsionem ordiamur) *Resp. (1.) Lutherum* tamen l. c. lectori relinquere arbitrium & optionem, imo & in versione sua illud *וַיְהוֹדוּ* in *Nominativo* reddidit.*

D 3

didisse : und sein Geist. (2.) Reliqui aut nulla utuntur ratione, aut illam, quæ utuntur, à Judæis mutuo sumunt; ad quam tamen in præced. jam responsum est. (3.) Contra illos, qui vocem quæstionis in Accus. reddunt: *Et Spiritum suum*, vel *ipsius*, sic fatismilitant rationes nostræ supra in Sect. 1. Exegetica §. 4. & seqq. pro Nominativo adductæ. Denique (4) Autoritati adversantiam, si quæ est, autoritates tot Patrum aliorumq; tot Interpretum eximia laude præfulgentium supraq; Sect. 1. §. 8. & seqq. laudatorum, opponere licebit.

§. 4. Præter hos verò *sociniani* quoq; uti sunt intensissimi S. Trinitatis hostes, ita & clarissima S. Scripturarum oracula, illammet probantia, in perversum trahere sensum nunquam intermittunt, quale quid in præsen. etiam loco experimur. Socinus enim contra Bellarm. & Wiek. p. 161. adh. l. judicat, Prophetam sub Christi Persona loqui; verum id minimè probat. Proinde & nihil proficit, sed apertam principii petitionem committit, quando ex nondum concessio p. 163. inferre conatur, mutationem personarum esse factam; quam tamen glossam à Judæis acceptam præced. §. 1. confutavimus. Cætera, quæ vano hic conatu opponit, jam pridem solide discussit celeberrimus quondam Academiae hujus Theologus Senior D. Paulus Tarnovius, lib. de Trinit. p. 258. Quæq; porro Socinianorum dicacissimus Joh. Crellius objicit, partim à B. Calovio, Theologorum Principe in libro contra Crellium p. 995. partim supra jam §. 1 sunt excussa. Quæ vero circa ipsam S. Trinitatis probationem tricantur, ea inferior Sectio 3. sub incudem revocabit.

§. 5. Sed redimus ad Pontificios, qui velut antea non immeritò, propter falsum planè sensum, quem nostro

stro

itro inferre loco tentant sunt rejecti, ita & denuo sunt no-  
 tandi, quoniam superius adducta abs nobis argumenta,  
 expositionem nostram de Filio DEI hic loquente stabi-  
 limenta, infirma reddere nefario ausu conantur. Plurimæ  
 enim probationes nostræ ex illis petitæ sunt attributis,  
 quæ DEO tantum conveniunt; cumq; illa hic loquenti  
 Misso tribuantur, hinc suprâ conclusimus illum esse  
 DEUM & per consequens secundam in Deitate perso-  
 nam. Hæc v. argumenta Pontificii, ex doctrina de  
 communicatione idiomatum, quam orthodoxæ Lu-  
 theranorum Ecclesiæ servant, enervare tentant. Siqui-  
 dem putant, pro divinitate Christi ex attributis DEI  
 essentialibus nos concludere non posse, cum instantiæ  
 loco reponi possit, hæc attributa non soli DEO sed etiam  
 humanæ Christi naturæ ex nostra Lutheranorum do-  
 ctrina convenire. Similiter & D. *Christianus Helwi-  
 chius*, Med. D. (cujus in Programmate Disp. hujus men-  
 tio est facta) Antagonista meus procax dicaxq; in *manu-  
 ductione Regiomontanorum Theologiae Professorum ad Papa-  
 lem Ecclesiam* cap. IV. §. 2. in eo totus est, ut ostendat ex  
 hac communicatione verba Patrum enervari, qui ex  
 proprietatibus divinis distinctam divinam Christi na-  
 turam concludunt. Sed revera nihil novi attulit *Hel-  
 wicius*: Siquidem antè ipsum pariter jam alii crocita-  
 runt, ut *Becanus* in Theol. Schol. de Christo c. 7. q. 1. &  
*Busæus* in Disp. de Persona Christi, Resp. enim negando,  
 quod enerventur inde argumenta pro Deitate Christi à  
 proprietatibus divinis desumpta. Nimirum rectè nos  
 arguimus: Personæ hic loquenti & missæ tribuuntur  
 proprietates soli DEO competentes, Ergo divina fit illa  
 necesse est. Quod si quis enim colligat: Cuicumq; tri-  
 buuntur proprietates divinæ is est DEUS; rectè nihilo-  
 minus

minus

32  
minus subsumere potest: Christo homini competunt proprietates divinæ, E. est Deus. Siquidem notæ fatis & veræ sunt propositiones illæ personales: DEUS est homo & homo est DEUS. Adeoq; nihil virium hinc rationibus nostris decedit.

§. 6. Sed obstinata gens Jhudaica (ut ad illam quoq; regrediamur) adhuc habet quod ad elidendam rationem nostram ex præced. versu 15. petitam oggan-  
niat, qui versus ita habet: *non à principio in abscondito sum locutus: à tempore esse illud (quo fuit illud) ibi eram.* Siquidem verba: *non à principio in abscondito locutus sum,* Tanchuma ad legem refert, in monte Sinai promulgatam. Unde R. Salomo contra nostram rationem ita insurgit: *Verba hæc dupliciter possumus interpretari (1) ex mente Tanchume, qui ait: Propbeta dicit verba ex quo tempore hoc factum est, scilicet, hæc ipse, quam commemorat & de qua loquitur, ibi eram.* Ex quo discimus Prophetas omnes ad montem Sinai stetisse (2.) ex sua mente ipse R. Salomo subjungit: *posse hæc verba adhuc aliter explicari, nempe b. m. ab eo tempore quo Deus decrevit, ut adduceret illud, ibi adfui.* Docet, quod à momento temporis, quo decrevit Deus hunc constituendum esse Prophetam, qui annunciaturus esset hoc ipsum, in consilio arcano fuisse, licet tunc temporis nondum formatus fuerit. Ast levi operâ diluuntur crassæ obduratorum Jhudæorum nebulæ, quas resplendenti huic veritati offundere tentant. Resp. enim ad 1. explicationem contortam, ex cerebro Jhudæorum minus sano exortam, risu potius quàm confutatione dignam esse. Unde enim Jhudæis constat, Prophetas omnes in monte Sinai fuisse congregatos ibiq; suas accepisse Prophetias? An locus hic ullam montis Sinai mentionem facit? Sanè in monte Sinai palam loqui, & jam

& jam inde ab illo tempore, imò ante illud existisse, non Jesaiæ sed Messiaë mediatoris character est, cujus manu, ministrantibus Angelis, lex ordinata est, Act 7. 30. 35. 38. Gal. 3. 19. Videmus ergo in quas ineptias & pueriles fabulas Jhudæi sint delapsi, quando illas præagnitione veri sensus de Messia & Trinitate lectari malunt. Resp. ad (2.) sententiam, quod, uti prior fabulosa, ita hæc plane contradictoria sit: annon enim se invicem tollunt, nondum esse formatum & tamen jam adesse? Eò sanè delabitur Jhudaica pervicacia, ut dum à vero ex instituto aberrat, in contradictionis inexplicabilem labyrinthum infano se ausu præcipitare deprehendatur.

§. 7. Præterea nec sine obelo hîc transmittere fas est Tremellii & Vatabli glossam, quæ per principium (cujus præcedens hujus 16. versus vox שנת i. e. à principio, meminit) hanc ipsam intelligunt Prophetiam sive tempus factæ vocationis, ita ut sequentes etiam voces מעתה היתה ita reddat Vatablus in Bibliis à se editis: à tempore quo fuit ipsa (prophetia) ibi eram. Videntur verò hi ambo fœmininum respicere affixum היתה, quod infinitivo היות adhæret. Neq; dissimulandum est, ipsius Lutheri versionem non multum hinc abire, quando sic habet: Von der Zeit an/ da es geredet ward / bin ich da. Sed Resp. (1.) affixum illud alias fœmininum pro neutro hîc esse accipiendum; quod apud Hebræos solenne est, qui neutro genere destituuntur, quod proinde per fœmininum plerumque, & rarius etiam per masculinum, exprimitur. Sic eodem hoc versu nostro præcedens pronomen demonstrativum fœminini generis הנה pro neutro accipitur, cum dicitur: accedite ad me audite הנה i. e. hoc, uti & Vatablus reddit, hoc scilicet, quod de Missione Filii

E  
DEI

DEI indicitur. Resp. (2.) ipsa haud interrupta Textus cohærentia, in quo semper orator & non interruptè filium orationis continuat à vers. 12. usque, nec ullo modo mutatur persona, huic interpretationi obstat. Resp. (3.) Illud מראש i. e. à principio, quia est absolutum, hinc talem restrictionem ad principium vocationis Propheticæ non admittit, præcipue cum paulo antè principii Mosaici nempe creationis facta sit mentio.

§. 8. Hactenus sententias Exegeti nostræ de *persona missa* variè adversantes justo discussimus elencho; nunc ergo & illas, quæ circa *mittentem sive in voce* וְרוּחַ tricantur, & per illum non *Spiritum S.* tertiam Deitatis personam, sed *aliam* intelligunt. Ex Judæis R. Aben Esra & R. D. Kimchi, per *Spiritum Dei* intelligunt *Angelum*, quia ad Jesaiam fit missus, ad indicandam ipsi Prophetiam. Verum Resp. (1.) Unde probabitur quod per Spiritum hunc Angelus aliquis intelligatur? Nuda assertio assensum nobis simpliciter non ingenerat. Fide cæca in Rabbinos non ferimur. Resp. (2.) Hic Spiritus cum אֲרָנִי יְהוָה in ipsa missione conjungitur; an vero eodem modo Angelus Prophetam (posito quod Propheta intelligendus foret) mittit, quo Deus ipse? An non vel ex hoc solo patescit, Angelum intelligi non debere? Ex Pontificis *Johannes Mariana* per *Spiritum hunc* intelligit *voluntatem Dei* in Scholiis in h. l. Sed Resp. tum propositio esset identica h. m. *Et nunc Dominus mittit me* & *Dominus mittit me*: annon enim voluntas Dei & ipse Deus identificantur? Certe nec Imperator aliquis humanus commode diceret: Nunc ego mitto te & voluntas mea, quid ergo fieret in divinis, ubi ipse Deus ejusque voluntas realiter non differunt, quàm quidem in humanis. Plures adhuc Socinianorum Pseu-

Pseu-

Pseudhermeniaë essent explodendæ; sed illas Sectione tertia commodius retundere licebit.

§. 9. Antequam ulterius ad verum loci usum progrediamur, removendus quoque ejus erit *abusus*, qui apud Græcos deprehenditur. Hactenus Ecclesia illum servavit canonem; *missio personæ divinæ in tempore est processions æternæ manifestatio*. Legitur hic Canon jam apud ipsum *Greg. Nazianz.* in Orat. 37. *Atanas.* in Epist. ad Serap. Tom. I. opp. f. m. 195. *Augustin.* lib. IV. de Trinit. cap. 20. *Gregor. M.* Homil. 26. in Evang. *Bedam* lib. II. Homil. II. Dom. I. post Ascension. *Nicetam* in Notis ad Orat. 38. *Gregor. Nazian* num. 22. *Damasienum* lib. IV. de O. F. cap. 19. *Manuel. Calecam* lib. II. contra Græcos prolixè, *Hugonem Eterianum* lib. III. de Hæresi, quas in Latinos Græci devolvunt cap. XIIIX. Ast Græci, quoniam vident ex hoc canone dogma suum, de *Processione Spiritus S. à solo Patre*, funditus everti, hinc illi ad nostrum confugiunt locum, atque ex illo canonem hunc destruere laborant. Ajunt enim hunc canonem universaliter verum non esse, quia & *filius Dei mittatur à Spiritu S.* Interim tamen ab eo non procedat. Assumptionem ex nostro probant loco, ubi Filius Dei dicit: & nunc *Dominus misit me & Spiritus ejus*. Verùm Resp. Canonem firmo adhuc talo subsistere, neque Græcorum argutiis ex nostro loco sine fundamento depromptis labefactari. Nam quando Filius Dei dicitur h. l. à Spiritu S. missus, hoc intelligendum est non secundum divinam naturam, in quantum illa divina & præscisive absque connotatione spectatur, sed secundum humanam naturam, cujus missionis denominatio etiam Verbo denegari nequit. Annon enim ex collatione N. T. à nobis superius instituta patet, humanam.

hic naturam notari? Bene Anselmus Cantuariensis: Si autem dicunt quia Spiritus S. mittit etiam Filium, sicut ipse dicit per Prophetam: Et nunc Dominus misit me & Spiritus ejus; hoc enim secundum hominem, quem gerebat intelligendum est, qui Patris & Spiritus S. una voluntate & dispositione mundum redempturus in mundo apparuit, in lib. de Process. Spiritus S. Tom. III. Opp. f. m. 136.

### SECTIO TERTIA PRACTICA.

#### §. I.

**E**xpedito sic Elencho Textuali, ratio propositi ordinis postulat, ut *usum* quoque Loci subjungamus, & cujus rei in illo *Jesaias* præcipue *præco* fit, discamus. Est autem ille *præco SS. Trinitatis mysterij perspicuus*, in quo sanè cognoscendo mens humana naturalem ductum sequens ob connatas sibi tenebras palpitat, cadit, & præcipitatur: imò est illud mysterium humano intellectu impervestigabile; quamobrem duce & luce prævia opus habet, ut unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneretur, ceu habet Symb. Athanas. Præluet hinc utrumque Dei Testamentum, sed non pari splendore. Uti in cælo naturali stellam stella claritate superat, 1. Cor. XV. v. 41, ita & in cælo spirituali scripturario clarius lucent stellæ Novi præ stellis Veteris Testamenti. Sed nec Vet. Test. stellæ sine claritate sunt omni, licet tanta non gaudeant. Resplendescit in nostro sanè Oraculo stellatali claritate, ut ejus luminis beneficio ad veritatis limpida (in hoc mysterio cognoscendo) jubar assurgere queamus. Etenim ex illo non uno modo augustissimum hoc Trinitatis mysterium doceri ac probari potest (I.) enim ex Sect. 1. abundè constat, quod per *mittentem* partim *Pater* prima, partim *Spiritus S.* tertia; per *missum* v. secunda Deitatis persona  
Filius



37

Filius Messias denotetur. En habes tres Personas Dei-  
tatis, quas S. Scriptura in aliis Nov. Test. locis, ut 1.  
Joh. V. v. 7. clarius ostendit. (II:) Trinitatem perso-  
narum probant in h. l. *tria distincta nomina*, quæ tribus  
distinctè intelligentibus competunt, quæ adeo tria intel-  
ligentia notificant. Alio enim nomine insignitur mit-  
tens *Pater*, nimirum per יהוה ארני alio mittens *Spiritus*  
S. nempe per vocem רוּחוּ, alio ipse *missus*, scilicet sub  
*missi Jehovah* notione. Jam verò tria illa nomina,  
tribus intelligentibus tributa, notificativa sunt trium  
distinctè personarum discretarum juxta suum notifi-  
candi modum, quo exprimunt notificanda, nempe in-  
digitando specificatam signatorum subsistendi modo-  
rum formalitatem, eò ipso non ut nuda supposita ab-  
stractiva, sed ut intelligentia adeoq; ut personas, quas  
ad ternarium numerum deducit Textus. Quadrant  
huc verba *Tertull.* ex Lib. contra Prax: *ipsum quod Pater*  
*& Filius dicuntur, nonne aliud ab alio est? Utiq; enim omnia,*  
*quod vocantur, hoc erunt, & quod erunt, hoc vocabuntur;*  
*& permiscere se diversitas vocabulorum non potest omninò,*  
*quia nec rerum, quarum erunt vocabula.* (III.) Distinctæ  
actiones, quæ h. l. occurrunt, personalitatem & plura-  
litatem personarum arguunt. Nam occurrit h. l. *actio*  
*divina*, quæ *missio* est, circa quam duo distincte agentes  
asseruntur, nempe *Jehovah eiusq; Spiritus*, quos distin-  
ctos esse probatum est superius Sect. I. §. 18. Horum  
actio versatur circa aliquam personam *missam* eamq; iti-  
dem *divinam*. Jam verò ubi mittens & missus, ibi ali-  
qua est pluralitas. Nam mittens & missus dicuntur re-  
lativè. Sed relatio distinctionem realem requirit. Er-  
gò persona missa debet esse realiter distincta ab illa per-  
sona, à qua mittitur. Nulla enim relatio ad se ipsam  
referri potest, idcirco quoniam ea secundum se ipsam

est prædicatio, quæ relatione caret. Unde Scholasticorum axioma: *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Jam verò cum hic occurrat in mittente & misso relatio, Trinitas probata est; quoniam eadem persona non mittitur à se ipsa (exspiraret enim oppositio relativa) sed ab alia realiter distincta; ex nostro autem loco patet, Filium à Patre & Spiritu S. esse missum, ergò quoque Trinitas personarum constat. Bene iterum de hoc & simili Trinitatem probandi modo Tertull. l. c. *Est ipse qui pronunciat, spiritus est Pater ad quem pronunciat & Filius de quo pronunciat. Sic & cetera quæ nunc ad Patrem de Filio, vel ad Filium, nunc ad Filium de Patre, vel ad Patrem, nunc ad spiritum pronunciantur, unamquamque personam in sua proprietate constituunt.* Ita & Bernhardus: *Quod alter ex altero & alter ad alterum veracissime dicitur Personarum designatio est in epist. 190.*

§. 2. Ulterius hoc deduci posset IV. ex variis Vet. Test. locis, sed brevitatis causa produco tantum modo locum Jes LXI. v. 1. qui & quoad verba & quoad sensum nostro parallelus est. Ibi enim pariter ac in nostro loco sunt duo *mittentes?* רוח *Spiritus* & ארני יהוה *Dominus Dominus*: Occurrit quoque *missus & unctus*, qui Filius Dei est: ut patet non tantum ex vers. 3. sed etiam ex ipsius Christi explicatione Luc. IV. v. 21. En claram Trinitatis probationem! In Deitate datur alia persona missa & uncta, duæ etiam personæ nempe Spiritus & Adonai Jehovah mittentes & ungentes: Ergo datur in Deitate personarum Trinitas. Consequentia hujus adamantina connexio satis patet iis, qui illam percipiunt; apprehensio enim simplex terminorum rem reddit manifestam.

§. 3. Eundem loci hujus usum ante nos observant antiqui Ecclesie Doctores, qui propterea hoc etiam loco

loco

loco tanquam Davidis funda sunt usi, ad Goliathismum Anti-Trinitariorum fortiter prosternendum. Sic *Gregor. Nyss.* in fragmentis T. 3. Biblioth. P. P. Margarini de la Bigne edit. Paris. fol. 479. *perspicuum est verbum & Spiritum in sua utrinque persona existere & esse aeternum & creatorem. Esaias enim inquit: nunc Dominus misit me & Spiritus ejus.* Item *Hieronymus* verbis supra abs nobis Sect. 1. §. 8. citatis immediatè subjungit: *Breviq; versiculo Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.* Similiter *Augustinus* uti generatim ait de V. T. sermone 38. de tempore: *Omnia scriptura V. & N. T. si catholicè intelligitur, hoc insinuat, quod pater & filius & Spiritus S. unus sit Deus, ejusdem substantiæ uniusq; essentiæ: ita speciatim ex hoc etiam loco mysterium Trin. probavit.* Hoc enim modo colligit: *Quapropter cum eum Pater Verbo misit, à Patre & Verbo ejus factum est, ut mitteretur. Ergo à Patre & Spiritu missus est idem Filius, quia Verbum patris est ipse filius &c.* lib. 2. de Trin. cap. 5. & clariùs adhuc in lib. de Trinitate & unitate DEI cap. 10. Verba ejus supra sunt citata Sect. 1. §. 9. *Paschasius* loco supra ibidem citato: dum à Patre & Sp. S. destinari filius legitur, sub nomine trium personarum Spiritus S. à semet ipso subsistere evidenter aperitur. Videatur quoque *Albanasius* in Orat. 2. contr. Arian. *Pœbadius* in lib. contra Arian, circa medium, & *Augustinus* l. 3. contra Maxim. c. 16. Quod si verò hi aliiqve Patres feliciter his loci nostri armis pugnarunt, victoriamqve reportarunt, quidni etiam nobis victricibus hisce armis uti liceret?

§. 4. Quamvis enim loci hujus nostri lumen ita coruscet ut ipsum hoc S. Trinitatis mysterium, cæteroqvi arcanum, dicto jam modo serenet; nihilominus tamen multorum mentes ita sunt occæcæ, ut non  
tan

tantum non videant, quæ hoc lumen de lumine pand  
 sed & oppugnent, quæ Jesaias SS. Trinitatis præco de  
 hoc mysterio luculenter tradit. Qvales sunt I. Illi, qui  
 mysterium hoc prorsus negant. Huc referuntur (1.)  
*Judei*, notati propterea ab Eusebio lib. 2. de Theol Ec-  
 cles. cap. 20. (2.) *Gentiles* apud Athanas. in Orat. adv. Gen-  
 tes tom. I. opp. & Gregor. Nazianz. in Orat. II. de Theo-  
 log. (3.) *Mubammedani*, de quibus Euthymius in Dis-  
 sertatione contra Sectam Ismaelitarum apud Margari-  
 num de la Bigne. (4.) *Varii antiquioris Ecclesie Heretici*  
 Triinitatem oppugnantes, quorum Catalogum legas a-  
 pud incomparabilem *Chempitium*, secundum illum or-  
 bis Evangelici Atlantem in Loc. Theol. edit. Lyer. f.  
 30. sqq. (5.) *Hodierni Photiniani*, procaces illi Religionis  
 Christianæ hostes, quorum præcipui duces sunt, Serve-  
 tus, Lælius & Faustus Socini, Johannes Sommerus,  
 Ostorodus, Franciscus Davidis, Enjedinus, Schmal-  
 zius, Volkelius, Crellius, Schlichtingius & alii plures.  
 Nescio an his quoque debeam annumerare Daniele  
 Zvickerum Gedanensem, itidem Trinitatis hostem, qui  
 cæteroqvi nullius sectæ, sed potius Religionis nullisti-  
 cæ homo est. II. Pertinent huc *Pontificii*, qui mysterium  
 hoc plane non patere in S. Scriptura, sed potius ex so-  
 lis traditionibus hauriendum esse præfractè conten-  
 dunt; id quod Socinianis gratissimum est. Hinc O-  
 storodus scripsit: *Pontificii in publicis scriptis ingenuè con-*  
*fesse sunt pluralitatem personarum in Deo ex Verbo non posse*  
*confirmari*, part. 2. contra Tradelium cap. 1. III. *Illi qui*  
*Sacrofanctum hoc mysterium ex Libris Vct. Test. non posse*  
*probari obstinatè inficiantur*, quales quidam sunt Pontifi-  
 cii, qui cum *Alphonso Testato*, Episcopo Abulensi de Ma-  
 drigal (*qui insipientiam & quasi insaniam esse dicit ex libris*  
*Vet.*

*Vet. Test. pluralitatem personarum divinarum convincere velle;*) eandem tibi inflant, quales sunt potissimum *Adamus Tannerus* Tom. 3. Theol. Scholast. disp. 1. q. 7. dub. 2. num. 38. & *Dionysius Petavius* Tom. 2. dogm. Th. lib. 2. cap. 7. Idem cum Pontificiis docent infensissimi SS. Trinitatis hostes, *Sociniani*: Ita enim ex iis quæsit *Smalzius*: *Quis ex Vet. Test. homini sensato dogma Trinitatis? Quis Filij aternitatem ostendet?* in præfat: refut. D. Franz. ad Lector. Cum Socinianis faciunt *Arminiani*, tanquam eorum affines; vide *Vedellii Rhapsodum* pag. 121. His quoque vesano impetu adhinnire præsumserunt *Syneretista Calixtini*. Sed illi distinctè in seqq. enumerandi erunt.

§. 5. *Mysterium enim Trinitatis ex Vet. Test. probari non posse asseruerunt Helmstadienses, & ex iis præcipuè D. Georg. Calixtus, qui in Exercit. de Sanct. Trinit. Myst. Resp. M, Job. Latermanno (postea Prof. Theol. Extraord. Regiomont.) Anno 1645. Helmstadii habita Thes. 6. propudiosa hæc scribere non erubuit: Quamquam mysterium de quo agimus, Patriarchis & Prophetis suo quodam modo ex peculiari Dei revelatione cognitum fuisse inficias ire nolumus; ita tamen in libris, quos instinctu Sp. S. ediderunt, contineri, ut à quovis ibi deprehendi aut olim potuerit, aut nunc seposito Nov. Test. possit, id vero negamus.* Paria habentur in der Wiederlegung num. 11. his verbis: *Ich / vor meine Person kan wohl leiden / und zürne darumb gar nicht / wenn andere der Meynung seyn / es könne das Geheimniß der Dreifaltigkeit aus dem Alten Testament wider eine ernste und scharffe Gegen-Part erstritten werden / ob ich schon solches bey mir nicht befinden kan / und auff solche Weise wider die Jüden zu disputiren mich nicht werde verleiten lassen.* Conf. ejusdē Epit. Theol. p. 71. edit. Brunsvic. Ao. 1647.

& peculiaris Dissertatio Anno 1650. de hac materia edita num. 20. Cujus inanes ratiunculæ jam refutandæ essent, nisi terias nobis fecissent B. Wellerus, Hülsemannus & Calovius. Patris vestigia pressit filius (qui non ita pridem è vivis excessit) *D. Fridericus Ulr. Calixtus*, in sua sic dicta demonstrat. liquid. punct, XII. & in libro maledico contra *Huldreich Gottfried* prolixè. Applaudunt Calixto omnes ejusdem sputilingi, quales ex Helmstadiensibus sunt: *Job. Henricus Posewitz* in Theol. Schol. pag. 133. & *Wideburgius*, qui in System. Theol. pos. pag. 173. hæc habet: *Qui Vet. Test. Scripturas legit, facile deprehendit, mysterium Trinitatis adeò planè & perspicuè in iis propositum non esse, ut quilibet, qui eas legerit, id ipsum ibidem à DEO proponi & revelari, potuerit animadvertere & intelligere.* Qui verò id non potuerit intelligere? Vel ex nostro hoc loco tali lumine legens perfundetur, ut si negare voluerit, in eo Jesaiam Trinitatis præconem esse, mentis occæcata sit necesse est. Anne (uti ex dictis §. 1. & seqq. patet) tres Personæ Divinitatis latis & sufficienter pro tempore Vet. Test. sistuntur?

§. 6. Ex Regiomontanis occurrit nobis *D. Christianus Dreierus* in der gründlichen (potius diceret ungründlichen) Erörterung pag. 53. scribens: Im Alten Testam. sind schöne Sprüche/ die diese Geheimnisse in sich begreifen und uns nicht wenig im Glauben bestätigen können: Allein so klahr sind sie nicht/ daß ein jeglicher Læye/ wenn er die Worte liest und sonst gar keine Hülffe hat/ aus der Erleuchtung des Geistes oder des N. Testaments/ alsbald den Unterscheid dreyer Personen in einem Göttlichen Wesen/ oder eine Person des Messiaë die in zweyen Naturen bestünde/ daraus erkennen und ungezweifelt glauben könnte. Non abnuit *D. Melchior Zeidlerus* tum in Colleg. Controv. tum in Conc. 2. Von dem

dem

deni Geheimniß der Menschwerdung/ tum alibi passim. Sed hisce *Rev. Ministerium Tripol.* adeò satis fecit, ut nihil solidi pro illorum sententia restare queat. Inter *Jenenses* *D. Job. Musæus* mollioribus verbis laudabilem disputandi severitatem remoraturus, sententiam Calixti pingit, distinguendo inter convictionem internam & externam & dicendo, priorem (quando quis interius apud animum suum se convictum esse animadvertit, utut exterius se convictum esse neget) competere *Dictis Vet. T.* sed non (quando quis ita convincitur, ut non amplius habeat, quod opponat) posteriorem. Hòc pacto emollire tentat Musæus in der *Jenischen Theologorum ausführlichen Erklärung* pag. 168. sqq. Verùm *Resp. (1.)* turpitudinem opinionis Calixtinæ adeò manifestam, adeoque omnibus conspicuam obvelare conari, est laterem lavare, deque errore Calixtino participare. Nam non advertere voluit, ceu debuisset, Musæus, in quo versetur inter Orthodoxos & Calixtinos Syncretistas quæstio: nimirum non tantum de priori, sed etiam de posteriori convictionis modo: ut patet ex totius Disputationis Calixtinæ scopo, atque etiam iis quæ bona fide adduximus. Dummodo *Dictis Vet. Test.* eò penetrare queat, ut convictionem internam obtineat, licet ob adversariorum perversitatem, qui firmissima destruere & lucidissima effusis caliginosæ mentis nebulis obfuscare tentant, ad externam non perveniat. Quò enim non Sociniana procedit audacia, in pervertendis *Nov. Test. Dictis*, ut ipse Musæus p. 170. agnoscere cogitur? Circa internam igitur convictionem cardo controversiæ potissimum agitur: an scilicet Judæi ex *dictis Vet. Test.* eò pervenire possint, ut mysterium Trinitatis ingenerari illis contraque eos solide probari possit? Legat cui libet ipsa ipsius Calixti verba §. 4. adducta. Hæc ergo

mediatoria Musæi conciliatio nihil proficit, cum à statu controversiæ, uti ostensum, abludat. Resp. (2.) longè aliena à veritate & experientia est subdola *Musæi* opinio, quasi Judæi dictis Vet. Test. non ità constringi queant, ut nihil habeant, quod exterius opponant, sed in nostram concedere sententiam teneantur: suprâ enim Sect. I. & II. adduximus & nobiscum Galatinus adduxit, qui nostro devicti loco nihil habuerunt, quod regerent. Imo annon Judæi quocq; vi veritatis adacti, mysterium Trinitatis confiteri necesse habuerunt, uti ex Pontificiis, præter adductum Galatinum, *Huetius* in demonstrat. Evang. ex Reformatis *Witzius* in Judæo Christianiz. ex Nostris *B. D. Kromayerus* in Theol. Positivo-Polem. Art. 2. Th. II. ostenderunt. Quâ ergò veritatis specie Judæos exterius convinci non posse Musæus scripsit?

§. 7. Hæc de Syncretistis. Sed adhuc alii sunt, qui ex Vet. Test. Trinitatem probari non posse docent. Ad horum classem referendus erit *Hermannus Cingallus* (an autem verum illud nomen, an fictitium sit, incertum est) In publicum is protrusit A. 1678. librum, cui titulum fecerat: *Scriptura S. Trinitatis revelatrix*, in quo tamen libro pag. 72. scripsit: *Sublime mysterium Trinitatis tempore Vet. Test. nondum fuisse revelatum.* Sed hujus assertionis & exceptionum ejus infirmitatem *B. D. Calovii* peculiaris Dissertatio Ao. 1680. eidem opposita manifestavit. Plures cum Cingallo sentientes *Leideckerus* in fac. Verit. l. 4. Contr. VIII. dabit, quos brevitatis causa hic non addimus. Hodiernos quosdam Crypto-Anti-Trinitarios jam præterimus.

§. 8. Ferit etiam locus noster IV. Illos, qui speciatim locum hunc arietant, quasi ex eo Trinitatis mysterium demonstrari nequeat. Et hi præcipuè sunt *Sociniani*, atque ex illis *Johannes Volkelius* lib. 5. de vera Relig

Relig



Relig. f. 413. Nimirum nōn patere hoc mysterium ex loco præfenti exinde vult probare, quia verti possit hic locus cum Castalione: *Dominus misit me & Spiritum suum.* Verūm Resp. (1.) Suprà Sect. I. §. 14 15. ex ipso Lingvæ Hebrææ genio evicimus, aliter verti non debere, quā quidem in Nominativo. Quoniam ergo hæ rationes fortiter pro nobis pugnant, jam dicendum restat, non quid possit, sed quid debeat fieri, seu quomodo benè possit verti. Resp. (2.) Castalionis versionem parum æstimamus. Et sane si vel maximè hæc translatio admittatur, nihilominus tamen confecta erit Trinitatis probatio: annon enim occurrit Paternitatis prima Deitatis persona, Filius missus secunda & Spiritus S. itidem (ex mente Volkeli) missus tertia Deitatis persona? Quem a deo personam esse velint nolint, admittere tamen Sociniani coguntur, tum ob dicenda inferius, tum quia aliās à Deo Patre tanquā missus à mittente distingvi non posset, si DEI Patris virtus tantummodo esset. Itā dum vafrities Sociniana semet explicare intendit, se ipsam implicat. Sed major adhuc Johannis Crellii protervia est lib. I. de uno DEO Patre Sect. 2. Cap. 15. ex nostro hoc loco Trinitatem destruere ita tentantis: *Quia mittere & mitti destruunt equalitatem Personarum, Omnis enim Legatus, quā talis, mandata ab altero accipit & ad alterius voluntatem ac mentem dicta factave sua, qua ut Legatus suscipit, componat necesse est.* Sed Resp. (1) verbis S. Augustini: non ideo arbitrandum est, Filium minorem esse, quod missus à Patre, nec ideo minorem Spiritum S. quod & Pater eum misit & Filius; sive enim propter visibilem creaturam, sive potius propter principii autoritatem vel commendationem, non propter inequalitatem vel imparitatem vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis hæc posita intelliguntur lib. 4. de Trin. cap. 21. Resp. (2.) non omnis

mnis missio infert inæqualitatem, subjectionem mandatorumque à mittente expectationem. Annon enim inter homines etiam, à quibusdam inter se officio paribus aliquis ex eodem ordine mitti potest, qui tamen propterea nec inæqualis est, nec ab aliis mittentibus mandata expectat, sed ipse mandat; hinc Resp. (3.) distinguendo cum nostris Theologis & cum Thoma de Aq. p. 1. q. 43. a. 1. inter missionem cum imperio & missionem per consensum; prior utique infert aliquam inferioritatem, veluti cum servus à Domino, qui in illum imperium habet, mittitur: posterior verò non similiter, cum & æqualis ab æquali hoc modo mitti queat. Resp. (4.) distinguendo inter missionem abstractivè & concretivè consideratam. Abstractiva illa missio si quid missionalitas quidditivè in proprio & adæqvato conceptu involvat, consideretur, exitum præscisive spectatum à mittente principio prout tali simultaneitateque tendentiæ terminativæ ad illud ad quod res mittitur, quæ mittitur, importat. Concretiva spectatur vel in Deo vel in hominibus. Quæ est in Deo ejus relatio ad creaturam principaliter & de formali missionis quidditatem completive constituit, præsuppositivè æternam processionem connotando, ut bene observarunt: *Occamus* 1. d. 15. q. un. *Capreolus* ibidem q. 1. a. 1. & *Scotus* eadem d. 15. q. un. §. *videtur*. quorum sententia solidissimè à me facili negotio probari posset. Humana pro varietate personarum varia est ut præced. resp. dictum. Jam ex hisce dictis facilis oritur responsio ad objectionem *Crellii*. de quacunque enim missione intelligatur propositio falsa & neganda erit Res est manifesta, hinc plura non addo.

§. 9. Ità ergo *Isaias* noster SS. Trinitatis mysterium dignis lat verbis & nervosa oratione expressit, tresque præ-

præ-

personas nōminavit. Dehinc verò simul easdē personas divinas *ut divinas* innuit, quando *mittentem* appellat Adonai Jehovah, & *missum* dicit Jehovah: eo ipso enim ostendit, hunc *missum* esse verum aeternumq; Deum. Cuicumq; enim nomen Jehovah sine addito restringente & alienante tribuitur, is verus aeternusq; fit DEUS necesse est. Nam ipse hoc nomen sibi suæq; essentiae ita appropriat, ut à participatione hujus nominis creaturas excludat, Exod. III. 14. 15. Hinc Propheta etiam noster c. XLII. 8. Deum ita loquentem introducit: *Ego sum Jehovah, hoc est nomen meum, nec gloriam meam alteri dabo.* Consideretur etiam hujus nominis propria formalisq; significatio, & manifestum evadet, eam nemini nisi uni soli DEO tanquam Enti solitariè independenti competere posse. Unde conferri hic imprimis volo B. Lutherum Tom. 1. Isleb. f. 300. *Incidit in eos libros, scribit Hilaricus Pictaviensis, quos à Mose atq; Prophetis scriptos esse Hebraeorum religio tradebat, in quibus ipso Creatore Deo testante de se, haec ita continebantur: Ego sum qui sum; Et rursum: haec dices filiis Israël, misit me ad vos is, qui est. Admiratus sum planè tam absolutam de DEO significationem, quæ Naturæ divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quam ESSE intelligitur, quia id ipsum quod est, neq; desinentis est aliquando, neq; coepti, Et id quod in incorrupta beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse, quia divinum omne neq; abolitioni neq; exordio obnoxium est - Et hanc quidem infinitatis significationem secisse sermo dicentis videbatur: Ego sum, qui sum, lib. 1. de Trinit. non procul ab initio. Quando itaq; Isaias hunc missum appellat Jehovaham, nos eò manuducit, ut in agnitionem ejusdem Deitatis teramur.*

§. 10, Nihilominus tamen multi sunt inventi, qui præ-

præconis nostri vocem surdis excipere auribus ejusq;  
 sermonem insuper habere vel omninò pervertere non  
 erubuerunt, quos suprâ jam ex parte cognovimus. Quot  
 enim quæso Deitatis Filii DEI hostes stipatis agminibus  
 cernere licet? Sed tamen quum *non immeritò reprehendi  
 debeant illi, qui ausi sunt illum creaturam nominare,* judi-  
 cio *Eusebii Pamphili* lib 1. de Th Ecclel. c. 9. hinc omnes  
 illos antiquiores hæreticos tanquam improbos nota-  
 mus & blasphemos perstringimus, qui Filii Deitatem  
 abnegarunt: quales multos recenset *Dionysius Petavius*  
 tom. 1. Theol. dogmat. lib. 2. c. 3. Blasphema *Vo. ckelij*  
 vox est: *Christus summus ille Deus non est, sed ab eo distinguitur.*  
 lib. 5, de vera Relig. cap. 10. Similiter *Osterodus* cap.  
 6. instit. & *Crellius* loco superius citato Sect. 2. Quibus  
 in hoc puncto adstipulatur *Zwickerus*, confirm. iren. p.  
 18. Sed nec silentio hic involvendus est *spiritus novatori-  
 ens syncretisticus*, qui sanè, ut induta quavis pelle ceu *Pro-  
 teus* cuivis etiam pessimo placeat hæretico, argumen-  
 tum hoc nostrum, licet firmissimum enervare & sub  
*Socinianorum* larva dimicare tentat. *D. Georg. Calixtus*  
 ut tanto manifestius reddat, quàm fidelis sit *Anti-Trini-  
 tarianorum* rabula ità audacter scribit: Hat man ins  
 gemein gegläubet / der zukünftige Messias würde wah-  
 rer GOTT seyn / so frage ich ob selches vermöge  
 Zeugnisse der Heil. Schrift gegläubet worden? . . .  
 Sind hiezubündige Zeugnisse der Schrift nöthig ge-  
 wesen / die finden sich ja in Mosis Büchern nicht. In  
 Buch Josuæ, der Richter / und Könige wird sich auch nicht  
 finden / damit das Werk könte gehoben werden. In  
 den Psalmen Davids / und also vier hundert Jahr nach  
 Mosis Zeiten finden sich hieher gehörige Sprüche / derer  
 doch die meisten nicht viel ausrichten würden / wann die-  
 selbe nicht im N. Testament angezogen und auff Chri-  
 stum

stum

49

stam wären gedeutet worden. Bey denen Propheten  
finden sich zwar noch mehr / es gehet aber dennoch schwer  
zu / wenn ein bündiger Schluß wider die Juden gemaa  
chet und behauptet werden soll / in der Wiederlegung  
D. Wellerns. 87. Quid quæso gratius Judæis & Soci  
nians dici posset? Annon Judæis eo ipso datur occasio  
ita cavillandi: videte vos Christiani ipsimet de firmita  
te vestrorum omnium argumentorum ex Vet. Test.  
desperatis! Novum Test. quia nos Judæi id non recipi  
mus, stringere non potest. Paria hic Socinista reponere  
posset. Verum Calixto talia etiam dixisse non sufficit, sed  
eò adhuc impudentiæ procedit, ut tanquam Anti Trinita  
riorum addictissimus, etiam ipsa argumenta Orthodo  
xorum propria opera destruere tentet, speciatim quocum  
nostrum aggrediatur argumentum, quod ex attributione  
Nominis  $\text{יהוה}$  desumimus, in Disput. de Myst. Trinit.  
&c. thes. 39. ubi ait, *non valere consequentiam: Cuicumque  
attribuitur hoc Nomen, ille est verus DEUS. Nam delegatis  
etiam Principum nomen ipsius Principis tribui solet.* Con  
venit cum eo Christianus Dreierus in der Erörterung pag.  
117. Resp. (1.) indignam esse Theologo absurditatem, ab  
humanis ad divina concludere. Sed posito quod in  
humanis Legatus aliquis ipsius Principis nomen gerere  
possit, an etiam in divinis hoc locum habebit? an  
DEUS expressè apud Jesaiam h. m. sibi nomen hoc tri  
buit, ut gloriam in eo suam ponat, quam dare se aliis  
nolle expressè edisserit? Quid ergo nobis consuetudo  
humana cum divina? Sed & (2.) falsum est, quod sibi  
Legatus Nomen Regis tribuere possit. Apostolus  
Gentium Paulus annon fuit Legatus Christi Regis, ut  
passim profitetur? Ubi autem se Christum appellavit?  
Imò nec in humanis de Legato quodam ingrediente ur  
bem

G

bera

dem dicere quis posset, hujus vel illius nominis Rex Urbem cum pompa intrat.

§. II Quoniam tandem ad Trinitatis Mysterium etiam *Personalitas* tertiæ personæ Spiritus Sancti pertinet, hinc Jesaias, ut tanto clarior Trinitatis præco esset, eam quoque prædicare hinc voluit, dum voces adhibet, quæ personalitatem illam evincunt. Nam si personalitatem Spiritui Sancto denegaveris, non jam Trinitatem, sed (ut sic loquar) dualitatem habebis. Proinde & personalitas Spiritus S. asserenda necessario fuit. Illam igitur præco noster Jesaias perspicue indicavit, dum Spiritui *actionem* suppositalem tribuit, nimirum *missionem* ad Filium directam, ita ut missionis actionem eidem ut Patri adscribat. Jam ex assertione hac ita colligo: Missio quæ h. l. Spiritui S. tribuitur est actio. Ast actionalitas prout tendentiam originalem in suo adæquato formalique conceptu involvit, suppositorum est. Dico quatenus originationis tendentiæ conceptui repræsentatur: non autem fundatio terminativa, quæ accuratè sunt distingvenda. Hinc ulterius intero: Actio suppositalis suppositionem probat: quæ enim principiatum tale etiam principium: jam verò Sp. S. suppositalis actio scil. missio tribuitur: ergo quoque suppositum sit necesse est. Quando autem Spiritum S. suppositum esse demonstravimus, ulterius jam progredimur ad demonstrationem illam, quod scilicet sit suppositum intelligens, quod idem est ac persona, ut rectè docet *Petrus Lombardus* lib. 3. sent. dist. 5. & *Scotus* i. Sect. dist. 23. q. un. Demonstratio hoc modo perspicue & breviter institui potest. Missio si cui tribuatur active, requirit ut mittens sit intellectu, voluntate libera & facultate operandi præditus, quæ omnia fieri non possunt, nisi à persona subsistente. Quum verò  
Spiri.

51

Spiritui S. à Propheta missio adscribatur, iudubitato colligitur, eum esse personam subsistentem.

§. 12. Repudiamus igitur, qui *Spiritus S. personalitati* derogant, tanquam eos, qui Jesaiæ Trinitatis præconi in faciem contradicunt. Quamplurimi autem ex antiquioribus hæreticis adduci possent; sed brevitatis, quam sectari intendimus, jubet, ut illos transcurramus & quosdam tantummodo afferamus. In hanc personalitatem Spiritus Sancti olim injurii fuerunt *Sabelliani*, ut refert *Athanas.* in Orat. 5. contra Arianos, & *Epiphanius* hæres 62. De *Macedonianis* multi sunt, qui dubitant, an ipsam *personalitatem Spiritus Sancti* negaverint, quia putant, quod tantummodo Deitatem impugnaverint: in quorum quidem sententiam propendere colligo celeb. D. Rechenbergium in app. ad Libr. Symbol. pag. m. 236. Sed si dicendum quod res est: variæ fuerunt Macedonianorum sententiæ de Spiritu S. quorum etiam quidam expressè personalitatem Spir. S. negarunt, uti quidem expressè docet Athanasius in dial. adv. Macedon. Tom II. Opp. & prolixius S. Paschasius in lib. 2. de Spiritu Sancto (tantopere laudato Gregor. M Lib. IV. Dial. cap. 40.) toto cap. 4. Ex hodiernis impugnant eam *Sociniani*, qui varia conquirunt, quæ ad elidendum nostrum argumentum faciunt. In primis urgent actiones quod illæ, quæ in S. Scriptura Spir. Sancto tribuuntur, improprie ipsi tribuantur. Sed Resp. si h. l. missio Spiritui S. improprie tribuitur, ergo quoque Patri ita tribuenda erit, ergo Pater Filium improprie mittet, quod absurdum. Nam missionis actio in uno eodemque commate Patri & Spiritui Sancto tribuitur. Aut si Patri tribuitur proprie, Spiritui S. improprie, una eademque vox in uno dicto duplicem habebit sensum & sic unius rei non unica erit forma. En iterum absurdum

dum

dum, in quod Sociniana crisis delabitur! Eandem quoque personalitatem Spiritus S. impugnasse *Christopherum Sandium*, in Patria mea quondam Secretarium supremum, B. Parentis mei MSCta me docent, in quibus quoque ad argutias ejus est responsum. Reliquit is filium *ὁμόνομον*; utinam illum etiam non reliquisset in fide *ὁμόψυχον*!

§. 13. Haecenus ostensum, quomodo Jesaias tripliciter Mysterii SS. Trinitatis sit praeco, dum scilicet initio non modo *ternarium* Personarum *numerus*, sed *tria* quoque illarum *nomina* satis perspicue pro ratione temporum Vet. Test. insinuavit; deinde argumentum *vere aeternaeque Deitatis Messiae* suppeditavit, tandemque & *Spirit. S. subsistentiam* declaravit. Hisque ita ostensis expedivimus simul, quae cum primis ad *usum loci Didactico-Elencticum* spectant, discendo quod SS. Trinitat. Mysterium ex Veteri quoque Testamento praecclare probetur, fortiterque redarguendo tam Anti-Trinitarios quam alios his affines Orthodoxiae hostes. Atque ita etiam promissum benedicente Trinuno DEO exsolvimus; licet nonnulla adhuc dicenda superesse merito & libenter fateamur. Interim tamen nec nimis arcte & concise de hac materia, nec paulo nimium rebus & verbis redundantibus scribendum esse judicabamus. Quare non incongrue praesentem hanc Disputationem illis obfirmamus verbis, quibus colophonem imposuit *Chrysostomus* suo sermone de Trinit. tom. 3. *Opp. Sufficiant haec ei, qui voluerit, tametsi pauca sint: Omnia enim tractare impossibile; docti enim mihi desce- ret tempus. Neque ipsum mundum, opinor, capere libros, qui scribuntur. Nos autem indigni, qui tantam ex Sacris Scripturis utilitatem assequamur; adoremus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, cui sit gloria in secula seculorum.*

Coll. diss. A. 45, misc. 20 (2)